gnoſcere ſanam eorum doctrinam, a quibus Dei verbum annunciatur; ſed quamvis omnem illi zelum, & vigilantiam impendant, Deus aliquando vanam puniturus audientium curioſitatem, ac modicam utilitatem, quam percipiunt ex iis varietatibus, quas docentur, eorumque negligentiam, qua ad verbum Dei audiendum accedunt, & illud contemnunt, permittit, ut pſeudo Prophetæ illos palpent, atque ſeducant, & non evangelicas veritates, ſed inutiles curioſitates tradant, quemadmodum S. Paulus primos fideles ad monuit.

Quinam ſit finis Verbi Dei.

Sancti Verbi hujus finis eſt everſio peccati, & erroris in audientibus illud, peccatoris converſio, divini nominis gloria, incrementum regni Jeſu Chriſti, electorum ſanctificatio; unde inferendum eſt, illud omni attentione noſtra dignum, ſumma cum docilitate audiendum eſſe, ac ſummam mentis noſtræ attentionem mereri.

De hoc loquentibus argumento quoddam veluti principium ſupponendum eſt; Divinum hoc verbum in nobis non operari, niſi quatenus ibi recipitur, atque in hoc conforme eſſe naturalibus cauſis, quæ non operantur niſi juxta modum illum, quo applicatæ ſunt; unde ſequitur, ſi audieris concionatoris verbum, tanquam verbum Dei, illud in te operaturum tanquam verbum Dei, & quemadmodum nihil inutilius eſt, quam hominis verbum, hoc in te nihil operaturum, ſi tanquam hominis verbum illud receperis. Hinc S. Paulus, magnus ille divini Verbi miniſter, qui illius meritum agnoſcebat, dicebat, ſe gratias agere Deo, quod Theſſalonicenſes nequaquam verbum ejus audiſſent tanquam Pauli verbum, ſed Dei ipſius, & eam fuiſſe cauſam propter quam Deus Theſſalonicenſem Eccleſiam tot gratiis, & benedictionibus cumulaverat: *gratias agimus, fratres, quod verbum Dei non accepiſtis tanquam verbum hominis, ſed ut verbum Dei* 1. ad Theſſ. 2. Et ſane Dei verbum, ut hominis verbum auditum, ad ſummum hominum dumtaxat plauſus ſibi conciliare poteſt, qui vulgatus eſt ejuſdem effectus; ſed ſi audiatur tanquam verbum Dei, effectus habet prorſus divinos, qui omnes naturæ vires excedunt, & quos nulla alia producere poteſt eloquentia.

Divini Verbi prædicatio divinæ eſt inſtitutionis.

Qui in fidei principia abnegentur, negari nequit, prædicationem divinæ eſſe inſtitutionis, quandoquidem Dei filius Apoſtolis, & in eorum perſona ſucceſſoribus illorum, omnibuſque vices eorum gerentibus, atque officiis ipſorum perſungendi provinciam ingreſſis hoc primum præcepit, ut evangelium ſuum annuntiarent, ac docerent veritates, quas ut populos erudirent, ipſe in terras deſcendit; quod paſſim in Scripturis adeo palam connotatum eſt, ut ne minima quidem ambigendi ratio ſuperſit. Ita credere debemus, hunc Deum veritatis, qui in lege veteri per Prophetas ſuos, & in nova per filium ſuum, ac deinde per Apoſtolos ejus locutus eſt, loqui etiam per eos, quibus eccleſiæ auctoritas ſacrum hoc miniſterium committit, & qui Jeſu Chriſti locum tenent: *Qui vos audit .... tanquam Deo exhortante per nos.* 2. ad Cor. 5. Hi ſunt, quibus Deus divinum hoc credidit ſemen, ſine quo, Iſaias dicit: æque impii, & nefarii eſſemus, ac Sodoma, & Gomorrha: ita ut quemadmodum per divinum hoc verbum Jeſus Chriſtus ſuam inſtituit eccleſiam, ita per illud ipſum eam in fide morumque puritate conſervat.

Divini verbi neceſſitas.

S. Paulus divini verbi prædicationis neceſſitatem validiſſimo probat argumento. Sine fide, Apoſtolus inquit, nemo Deo placere poteſt; fides enim eſt virtutum omnium principium, quæ nos Divinæ Majeſtati acceptos efficiunt. At fides Dei verbo innititur, & verbum hoc extrinſecus per evangelicam prædicationem nobis revelatur: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti; quomodo autem audient ſine prædicante?* Ad Rom. 10. Igitur per auditum fidem recipientes virtutis initium recipimus, ita ut ex Theologorum ſententia JESU CHRISTI fides quamprimum defectura ſit, ſi Dei verbum deficiat: *Si deficeret verbum Dei, deficeret tandem fides Chriſti*; inquit S. Bernardus ſerm 10. Ratio autem, quam adferunt, eſt, nos Dei verbo edoceri, & inde omnes pendere cogitationes, quæ ad ſalutem aſſequendam ſunt neceſſariæ. Quamobrem idem S. Paulus Apoſtolus inquit, eum, qui erudiri non vult, & qui Dei verbum vult ignorare, a Deo ipſo ignorandum: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* 1. ad Cor. 4. Et non ſolum neceſſarium eſt ad habendam fidem, quæ eſt Chriſtianæ vitæ principium, ſed etiam ad recipiendum incrementum, & perfectionem, etenim quemadmodum ipſe teſtatur Apoſtolus, inſtitutum eſt ad erudiendum, redarguendum, & corrigendum; verbo, ad hominem perfectum efficiendum ſecundum cor Dei, eumque ad omnia bonorum operum genera diſponendum. *Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* 2. ad Tim. 3.

Divinæ interest Sapientiæ homines de ſalutis veritatibus per hoc exterius verbum erudire.

Divina Sapientia hanc ingredi voluit viam hominum erudiendorum, docendorumque, tanquam unam omnium aptiſſimam, ut eos ſalvos faceret, atque conditioni ipſorum maxime conformem. Poterat quidem ſingulos ſeorſim intrinſecus, & immediate alloqui per ſe, vel Angelorum, Prophetarum, Patriarcharum, ut in veteri lege, miniſterio. Sed operæ pretium non cenſuit hac miraculoſa uti ratione, quæ nullum fidei exercitationi locum reliquiſſet: maluitque homines aliorum hominum opera edocere: ideoque vidimus Salvatorem, ut eccleſiam ſuam conſtitueret, atque tueretur, operis hujus exordium duxiſſe ex prædicationibus ſuis; & mox in ore Apoſtolorum collocaſſe hoc ipſum verbum, quod ille annuntiaverat, atque poſt illos ſupernaturale hoc munus ſequeretur peccatores convertere, ſanctoſque efficere, poſuiſſe verbum idem in ore concionatorum, qui ideo vocati ſunt legati, præcones, & Jeſu Chriſti Vicarii.

Obligatio, qua Chriſtiani Dei verbum audire tenentur.

Vulgo neceſſe eſt Chriſtianum hominem Dei verbum audire, ut ſalvus fiat; noſtrum non eſt alias inire vias ad ſalutem conſequendam; illas ſequi debemus, quas nobis ſtravit Deus, ut providentiæ ſuæ ordine nos ad optatum finem adduceret. Via autem, quam Deus vulgatiſſimam ad hoc eſſe voluit, prædicatio eſt verbi ipſius. Fateor equidem, poſſe Deum peculiares inire vias, quibus defectui prædicationis ſuppleat, exempli gratia inſpirationes, ſanctaſque lectiones; verum quemadmodum vult in eccleſia ſua membra omnia invicem eſſe ſubordinata, atque mutuis ſubſiſtere auxiliis, non ſecus ac in natura, ita prædicatoribus uti vult ad annunciandum verbum ſuum, ad præparandos aliorum hominum animos, ut eam recipiant gratiam, quam illis conferre deſiderat.

Quo in ſenſu Dei verbum nunquam ſuo caret effectu.

Cum Deus Iſ. 55. aſſeruerit verbum ſuum nunquam effectu cariturum: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*: oraculum hoc probaturus D. Thomas docet, Deo duplicem eſſe voluntatem, quarum altera alteri ita ſubſtituta eſt, ut ſi prior ſuo careat effectu, poſterior illum certiſſime conſequatur. Hoc eſt, vult Deus, verbum hoc ſalutem, converſionem, & ſanctificationem noſtram operari; hunc ille effectum cupit, hæc prima eſt Dei voluntas; quæ, ſi ſuo fruſtetur effectu, qui eidem naturalis eſt, & qui primum ob oculos Dei verſatur, hoc ipſum verbum reprobationem noſtram operatur, ita ut non ſit in hominis poteſtate prohibere, ne Dei voluntas alterutro hoc viduetur effectu. Facere quidem poſſumus, ne verbum Dei primum obtineat, hoc eſt, ne operetur gratiam, quippe illud irritum efficere poſſumus: ſed prohibere non poſſumus, quominus noſtræ conferat damnationi, quæ pœna erit contemptus, quo illud audire, & inde fructum percipere negligimus. Hic eſt alter illius effectus, qui eidem eſt cum gratia communis.

Negligentia audiendi verbum Dei parit cordis obdurationem.

Quæmadmodum divinum hoc verbum ſemper plurimæ comitantur gratiæ, certiſſime inde infertur, cor, quod uti non vult luminibus, & monitis ejus, obdurari; etenim per gratiarum ſubtractionem, atque carentiam ſenſum amittit; itaut qui harum gratiarum ope minimis etiam veritatibus fuiſſemus affecti, atque noſtræ ſalutis opus expleviſſemus, earum ſubtractione maximis etiam, potiſſimiſque chriſtianæ religionis veritatibus non afficimur; qua in re cor illud lapideum conſiſtit, de quo tam crebro loquitur Scriptura.

Sapientia in Eccleſiæ inſtitutione per Verbum Dei.

In ipſa eccleſiæ inſtitutione concionatores rudes erant & indocti, ſed donum miraculorum habebant. Deus ita faciendum ratus eſt, ut oſtenderet eccleſiam ſine ullis humanæ ſapientiæ ſubſidiis inſtitutam fuiſſe, ſola crucis Chriſti virtute, ut loquitur Sanctus Paulus: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ut non evacuetur crux Chriſti.* Sed in eccleſiæ progreſſu Doctoribus, erudiiſque viris opus fuit, quorum doctrina miraculis ſucceſſit; & quemadmodum miracula fiebant ad probandam, & oſtendendam Dei potentiam in potentia eorum, quos ipſe elegerat ad eccleſiæ ſuæ fundamenta jacenda, verbum, atque doctrina ſubſecuta ſunt ad erudiendum, atque perſuadendum. Diſcriminis autem hujus ratio, quod in ipſa eccleſia viſum eſt, quæ per primorum concionatorum ignorantiam incœpit, atque per doctrinam profecit, hæc eſt, quod chriſtiana religio ſupra quancumque rationem eſt poſita, atque in ipſius inſtitutione judicium fuit arripiendum, ideoque miraculis opus fuit; ſed etiam quia hæc eadem religio non eſt rationi contraria, neque in eccleſiæ progreſſu opus fuit amplius judicium occupare; ſed perſuadere, & impellere ad praxim earum veritatum, quas theoretice novit, in concionatoribus opus fuit ſcientia, & eloquentia, ut animos evincerent, eoſque Dei verbo dociles facerent.

Interior Dei vox exteriori concionatoris voci concio jungitur ad cor Auditorū movendum.

In Dei verbo duæ voces audiuntur: altera quidem concionatoris, quæ afficit autem, altera Dei, qua cor afficitur. Exterior concionatoris vox eſt veluti corpus, ſed vox interior gratiæ eſt veluti ſpiritus agens, quo illud animatur; & hoc eſt proprie loqui, ut decet Deum. Hominum verba ſenſus tantum efficiunt, & per ſenſus indirecte ad animam perveniunt. Concionatoris eloquentia nihil ultra poteſt afficere, quam rationes ſuas efficaciter ſpiritui proponere, ut illi, quod contendit, perſuadeat, atque ſenſibilibus objectorum imaginibus animæ effectus accendat; quod parum non eſt: ſed Deus, qui animæ ſimul, & corporis dominus eſt, hominis utitur voce ob finem utrumque. Eo jure, quod in noſtra obtinet corda, hæc immediate per ipſum movet, illa erudit, illuminat, eiſque præbet adminicula ad ea facienda, quæ jubet. Itaque, ut proprie loquamur, dicendum eſt ex interiori Dei, exteriorique concionatoris voce unam dumtaxat coaleſcere, quam Dei verbum nuncupamus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti, ex Aſceticis, recentibuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Diſpoſitio qua Dei verbum audiendum eſt.

Diſpoſitio præcipua, quam ad verbi ſui ſanctitatem exigit Jeſus Chriſtus, diſpoſitio eſt orationis, & recollectionis. Antequam ad templum accedatis, confugiendum eſt ad patrem luminum, & ab eo petendum, ut vobis tribuat eas cordis aures, per quas, uti opus eſt, veritates, quæ vobis annunciantur iſthic, audiatis; ac orandum, ut infringere velit crudelem hanc cordis duritiem, quæ non ſinit, ut animo eas intelligatis veritates, quas aure auditis; ut in vobis confirmet momentaneos illos affectus, qui millies fortaſſe effecerunt, ut optima voſmet convertendi conſilia caperetis, quæ nihilominus ſemper in irritum ceſſerunt; ut ſermonibus noſtris eam tribuat vim, atque unctionem, quæ converſioni noſtræ eſt utiliſſima: ut nobis dignitatem largiatur miniſterii noſtri ſanctitati parem: ut in labores noſtros uberem benedictionem effundat; ut nobis ſpiritus ſui particulam, charitatem communicet, quæ ad perſuadendum validiſſima eſt, & quæ nunquam fruſtra operatur. Verbo, ad aræ pedes animam veſtram colligere, ac voſmet ipſos recipere debetis, omnes humanorum negotiorum, terrenarum voluptatum, mundanarumque rerum cogitationes expellere, omneſque ſuperare obices, qui hactenus effecerunt, ut ſanctum hoc verbum ſine fructu audieritis. *P. Maſſillon ſermone pro prima Quadrageſimæ Dominica.*

Dolor, quod hactenus adeo parum utilitatis ex Dei Verbo percepimus.

In mentem veſtram revocate tot doloris, & contritionis argumenta, quæ ſanctum Dei verbum vi, & unctione ſua cordibus veſtris ſuggeſſit, & quæ nihilominus omni caruerunt effectu: tot pia conſilia in his ſanctis locis inita, quæ videbantur factura eſſe, ut nullam unquam cum ſcelere gratiam reſarciretis, & quæ vobis illinc egreſſis, ut prima ſeſe obtulit occaſio, evanuerunt. Cum divinæ veritates in cordibus veſtris inanes dumtaxat impreſſiones perfecerint, totidem nobis factæ ſunt cauſæ reprobationis; & quotieſcunque cor veſtrum non commoverunt, neque ad pœnitentiam compulerunt, toties illud ipſum indurarunt, & niſi ex templo majori cum pœnitentiæ ſenſu pedem extuliſtis, illinc exiiſtis nocentiores; primis enim ſceleribus ſancti verbi contemptum addidiſtis. Hæc in vobis dolorem, & contritionem ciere debent, atque ea, quæ præterierunt, animo reputantes ex vobiſmet ipſis quærere debetis: Quod igitur? accedebam ad illud audiendum verbum, quod cum me educere poſſet de abyſſo, in qua tandiu volutabar, non potuit tamen vel affectuum meorum infirmare vires, vel me de ſcelerum meorum volutabro educere. Ullumne pedem protuli inde evaſurus, cum tot annos divinum hoc verbum audiderim.... Nunquid adlaboravi, ut pœnitentiam amplecterer? Ullumne ultro lapidem movi? Proh Deus! nonne fatigaberis aliquando mihi adeo ſalutaria converſionis adjumenta ſuppeditans, iſthæc a me contemni cognoſcens? Nonne iraſceris in me videns cor aliis quibuſcumque rebus patens, præterquam veritatibus, quibus unice eſſet afficiendum? Nonne ſeveriſſimis pœnis perſequeris contemptum hunc, quem præ me tuli erga eas gratias, quibus uſus es, ut me de ſcelerum abyſſo educeres, & ad te ipſum revocares? Denique ſanctum verbum tuum, quod contempſi, quin me flectat, nonne me in æternum magis, magiſque indurabit? *Idem.*

Quo pacto primi fideles ad audiēdum Dei verbum confluerent.

Ita primi eccleſiæ filii ſanctæ prædicationi, & venerabilibus religionis noſtræ myſteriis adſtabant, cinere, ac ciliciis tecti in templum, tanquam fontes capite damnati prodibant, ſimiles pœnitentibus peccata ſua plorantibus, triſtes, atque contritione pleni ſalutis veritates audiebant veluti exprobrationes, quæ illos ſalutari confuſione ſuffundebant, efficiebantque, ut ſe ipſos tanquam ſceleſtos, ac miſeratione indignos putarent; cum e contra vos temeraria confidentia repleti cum tranquillitate auditis, quin removeamini, tanquam juſti, quos nullius noxæ ſua conſcientia redarguit. Verum hoc ſatis non eſt; quin ad ſanctum hoc verbum audiendum eas afferatis diſpoſitiones, quæ neceſſariæ ſunt, ut inde fructum percipiatis; quin gemitus effundatis propter ſævam affectuum tyrannidem, ut eorum jugum excutere vobis liceat, nonne huc e contra confluitis, ut aliis ipſi affectiones inſpiretis, & ut ab aliis recipiatis? Quin huc accedatis animo erudiendi in ſpiritu adorationis, & reverentiæ, nonne venitis, ut alio ab hoc fine avertatis, atque in voſmet convertatis attentionem verbo Dei deſtinatum? *Idem.*

Fidelium felicitas, quod ſæpe Dei verbum audire poſſunt.

Teterrimum, quod olim indocili, ingratoque populo Deus mirabatur, ſupplicium hoc erat, ſe videlicet facturum, ut verbum ſuum rarum eſſet, atque pretioſum. Quærent, ajebat, ab oriente ad occidentem, ab una ad alteram terrarum plagam, qui meum verbum annunciet, neque invenient; pſeudo prophetas dumtaxat habebunt, qui non vitæ, ſed mortis verbum ipſis annunciabunt; & ſane rem probavit eventus. Nunc vero nonne peculiari Dei miſericordia factum eſt, quod licet tot obruti ſimus iniquitatibus, quæ nos magis adhuc indignos præbere videntur verbo Dei, quam antiquum rebellem populum ejus, adhuc nobis concionatores concedat, qui ferme inceſſanter ſanctas veritates annuncient: quod non permiſerit, ut ſub erroris tyrannide gematis, uti tot populi tenebris involuti; quod vos feliciter eripuerit ex eo cataclyſmo, in quo provinciæ nobis finitimæ triſte fecerunt naufragium? Hæc inſignis eſt gratia, quam nobis conceſſit Deus, qui nos a tot cæcis nationibus diſtinxit, quæ cum lacte errorem biberunt, atque venenum, quin illud cognoſcerent, epotarunt; & qui nobis veritatem, quam integris abſcondit populis, oſtendere dignatus eſt. Quot calamitoſi peculiari gratia ex errore educti nunc in chriſtianis ſuggeſtibus lumen, & veritatem inveniunt, unde majores eorum mendacii, & vanitatis audiverant documenta? Quot infelices ab eccleſiæ unitate ſecreti enixe panem verbi flagitant, nec, qui ſibi illum frangat, inveniunt? *Idem.*

Chriſtiani ſuggeſtus adhuc undequaque verbo Dei reſonant, & Domini miſericordia nobis adhuc iſta ſalutis ſubſidia relinquit. Quinam autem eſt animi grati ſenſus ob adeo inſigne beneficium? Dei verbum, quod vobis adeo frequenter annunciatum eſt, non videtur vobis favor veſtra gratitudine dignus? Attamen ad illud audiendum non niſi cum nauſea quadam, mira inſipientia, carnalibus cogitationibus, ac inanis gloriæ ſenſibus acceditis? Non metuitis ergo, quod Deus, qui vos tot favoribus cumulavit, vobis ſubtrahat ſancti verbi ſui auxilium, atque hoc pacto ob injuſtum ejuſdem contemptum in vos animadvertat? Non metuitis, quin ad populos barbaros hoc transferat beneficium, ex quo illi uberiorem referre poſſent fructum, ac vos tanquam ingratos rejiciat, ex calamitoſis nationibus novos ſibi efficiens hæredes? *Idem.*

Deus verbi ſui contemptum ulciſcitur mittens concionatores, qui illud vitient, atque corrumpant.

Terribili ſane pacto ulciſcitur Deus ſui verbi contemptum; ſæpe enim non aufert nobis Apoſtolos, & Prophetas ſanctæ legi ſuæ prædicandæ deſtinatos, ſed aufert miniſtris vim verbi ſui permittens, ut illud adſcititiis ornatibus enerve reddant, ac illud fucatis humanæ eloquentiæ lenociniis deforment, quæ illud quidem auribus jucundius efficiunt, ſed inutile; necnon amabilem illius ſimplicitatem peroſi aſſequi nequeunt ea, quæ ſancti viri obtinebant, qui ſtatim ac os aperiebant, magnos æque, ac parvos, principes, populoſque attrahebant. Quam grave malum eſt, quod Apoſtolicis hiſce viris ſuccedamus, quin participes ſimus affectuum, quos operabantur! *Idem.*

Permittit Deus, ne concionatores fructum aliquē referant in urbibus.

Quid dicam de ea ratione, qdas Deus agit in illos, qui ipſius verbum contemnunt? Relinquit illis adhuc miniſtros, qui divinum hoc prædicant verbum, ſed fructum in eos convertit, qui in agris morantur, a principum aulis, urbibuſque concionatores non amovet; ſed hi non ſunt amplius, quam æs ſonans, & cymbalum tinniens, aures quidem, non autem cor ipſum afficiens. Hei! Undenam factum eſt, quod divinum hoc verbum, quod olim urbes, atque provincias convertebat, nunc adeo infirmum, invalidumque in illorum labiis factum? Conqueri poſſumus, ut olim S. Paulus ad ſermones noſtros audiendos curioſos tantum ho-

mines confluere, quemadmodum ad illum audiendum Athenis confluebant, ipſo cupiente ab illis audiri, qui auribus legis explicationem excipientes in lacrymas ſolverentur. Nobilium virorum, & eorum, qui magnas incolunt urbes, curioſitatem paſcimus, cum interim miniſtri vero ſuccenſi zelo Jeſu Chriſti imperium ſatius in agris extendunt. Quid his addam? Vobis puriſſimas fidei veritates annunciamus, vos autem non niſi cum contemptu, & oſcitanter nos concionantes auditis. *Idem.*

Concionatores Dei verbum annuncians.

Verbum, quod vobis annunciamus, fratres, noſtrum non eſt, ſed illius, qui nos miſit. Ex quo nos ille ſuos miniſtros conſtituit, non debetis amplius nos intueri niſi velut organa ipſius, noſque audire veluti nuncios ejus ad id deſtinatos, ut ſanctam vobis voluntatem oſtenderemus, & ut exilem vocem illi ad verbum ipſius prædicandum commodaremus. Pretioſum hunc theſaurum in vaſis fictibilibus geſtamus, ſed illud nihil ſuæ majeſtatis amittit. Divinum verbum ſimili Gedeonis gladio nihil niſi terrenum, humanumque habere videtur, ut ab homine mortali feratur; ſed propter virtutem ſuam nihilominus de cœlo dilapſum eſt, & nihilominus ad infideles animas exagitandas deſtinatus eſt. *Idem.*

O miram ſtultitiam! Quot homines inanem rationis vim jactantes ad concionem accedunt parati, ut cenſoria nota concionatoris ſermones perſtringant, atque ſanctum, quod ſibi annunciatur, verbum impugnent? Quot miniſtri minus zelum, quam meditata eloquentiæ ſchemata ſpectant? Quod confluunt, ut felicia admirentur acumina, ſententias, amplificationum locos, ſermonis elegantiam? Quot ea ſuſpiciunt, quæ energetice, vel pathetice dicta ſunt tanquam dicendi modos plus æquo exaggerantes, & fervidæ potius imaginationis, quam ſimplicis veritatis effectus? Quot exiſtimant Jeſu Chriſti diſciplinam, quæ illis explicatur, Sanctorum ſententias, doctrinam Patrum, exempla Apoſtolorum, ac tot alia noſtræ religionis argumenta eſſe objecta, quæ nimis augentur, quia non niſi eminus conſpiciuntur? Quot demum ad concionem audiendam accedunt, ut inani ſuffragentur eloquentiæ, vel ut mendacii partes contra veritatem quæ ibi nunciatur, tueantur? *Idem.*

Pauci ſibi perſuadent ſibi dici quæ audiunt.

Zelo ſuccenſi concionatores nihil fere dicunt, quod a nobis propellere non ſtudeamus: nihil fere exprobrant, cujus nos participes eſſe putemus; nulla eſt difficultas, cui reſponſum non inveniamus: & inde oritur modicus ille fructus, quem ſacri evangelii præcones percipiunt: nemo enim ad ſe pertinere putat eas veritates, quæ omnibus dicuntur. Videntur illi concionatori fictitia ſibi proponere phanthaſmata, ut eadem impugnantes ingenii ſui flumen oſtendant. Impudicus ſuam non agnoſcit imaginem in libidinibus, quæ redarguuntur; avarus oculos claudit, ne videat atris coloribus imbutam tabulam, qua ſordes illius exhibentur: mundanus, voluptuoſus, ſuperbus, detractor non putant quidquam ad ſe pertinere ex ſinceris deſcriptionibus, quæ fiunt periculorum mundi, inconſtantiæ voluptatum, injuſtitiæ, ambitionis; denique unuſquiſque eam intuetur partem, quæ ſibi ſuffragatur: comminiſcitur ſemper quaſdam ambages, atque interpretationes, quæ ſceleri perſonam inducunt, maxime eſſentiales illius circumſtantias immutantes: ſubmiſſa voce dicit, ne ego quidem ille ſum, quem concionator indigitat, & dum vitia tua deteguntur, hæc in alios rejicis, ac te ab illis penitus immunem exiſtimas. *Idem.*

Quantumvis eruditus, & perſpicax ſis, negligendum tamen non eſt ſanctarum inſtructionum auxilium: quantumvis magna ſint lumina tua, errare potes; quantumcunque ſcientiæ, & cognitionis habeas, aliquid ſemper doceri potes Dei verbum audiens. Si mens tua nihil novum addicit, diſcet ſaltem cor tuum, te nihil ſcire, niſi Jeſum Chriſtum crucifixum ſcias. Si peccator es, quid melius te ad officium revocare poteſt, quam vox miniſtri a Deo miſſi, ut revoceris? Sin autem juſtus, quæ ſuavior tibi accidere poteſt conſolatio, quam audienti explicationem earum veritatum, quas diligis, quas exerces, & quæ ſalubres fiunt, prout audiuntur? Verbi tui miniſterio Dominus ea adnectere voluit ſubſidiis, quæ alibi non inveniuntur; veritates magis communes in ore concionatorum vim habent, & unctionem, quæ ſola obduratiſſimum quodlibet cor movere, & convertere poteſt. *Idem.*

Omnes ex Dei verbo fructū percipere poſſunt.

Quo animo, qua mente plerique ad Dei verbum audiendum accedunt? Videlicet ut de evangelici præconis merito, vel inſcitia judicium ferant, & ut inter plures concionatores iniquam comparationem inſtituant. Se ſe difficiles præbere geſtiunt, ut naris emunctæ videantur; ſine ulla attentione elabi ſinunt ſimplices enarrationes, quæ ad illos movendos eſſent aptiſſimæ, & fructus omnis, qui ex chriſtiano ſermone percipitur, eſt illius defectus, & vitia oculatiſſime adnotaſſe.... Illum audituri confluunt mortales, ut inanem cenſuram exerceant, & aliquid inveniant, quod damnent, & in jocum traducant. *Idem.*

Quid poſt auditam concionem faciendum ſit.

Putant aliqui acta, transſactaque eſſe omnia, cum concionatoris voce commoti fuerunt, cum tamen dici queat, nihil adhuc eſſe actum. Acta quidem, tranſactaque, ſunt omnia ex parte Dei, qui vos vocavit, vobiſque ſuam obtulit gratiam, at ex parte veſtra nihil eſt actum. Veſtra tunc intereſt ſequi paſtorem, cujus vox audita eſt, ac eo uti talento, quod dominus veſter vobis commendavit. Ergo poſt prædicationem colligenda eſſet hæc ignis ſcintilla, quæ cecidit in animam veſtram, fovenda eſſet meditatione, & alenda aſcetici alicujus libri lectione, quin ſtatim ſpiritus veſter ad terrena traductus negotia evagaretur. Cogitandum vobis eſſet, hanc cœli gratiam eſſe non temere vobis conſam, cujus aliquando rationem eſtis reddituri.... *P. la Colombiere tomo* 4. *ſerm.* 76.

Attentio Dei verbo afferenda.

Eodem tempore, quo evangelii præcones divinum vobis verbum annunciant, Deus mentibus veſtris adeſt, omneſque earum cogitationes cognoſcit. Quid autem ille cogitat videns mentem pro libidine hac illac evagantem, inquietam, quam præcipuarum veritatum adſpectus figere nequit, & quæ jugi tumultu agitata id unum quærit, quomodo hanc attentionem excutiat, quæ ipſi crux aliqua, & ſervitus non ferenda videtur; mentem omnia nullo in diſcrimine habentem, omniaque, ut ita dicam, intelligentem, quin intelligat aliquid; omnia comprehendentem, quin aliquid comprehendat: quia nulli rei vacat, ac ſatis ſibi eſſe putat levem cognitionem, quæ momento imprimitur, & rurſus momento deletur; mentem voluntario ſomno alligatam, quo ſenſus omnes alte capiuntur, cum interim Dei vox aerem verberet, & in irritum abeat. Quid dico? mentem rerum profanarum memoriam occupatam, nequiſſimis ideis repletam, quæ ex ſexcentis corruptoribus objectis collectæ fuerunt, vel peculiariter turpiſſimæ ſuæ cupiditati mancipatam. Tunc merito inſtaurare poteſt Deus querimoniam, quam olim per Iſaiam c. 29. effundebat, appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem ejus longe eſt a me. *P. Girouſt in Quadrageſima ſermone de verbo Dei.*

Quomodonam intrinſecus vos Deus commovere poteſt, ſi intrinſecus nequaquam verſus illum convertimini? Cum vos in templa, & ad conciones confluere videt non alio conſilio, niſi ut inanem curioſitatem veſtram, qua acti eſtis, expleatis, ut multitudinem, quæ vos allicit, ſequamini, ut ſatis faciatis cuidam conſuetudini, quæ illic vos trahit, quin palam ſciatis vel modum, vel cauſam; cum videt vos confluere non alio conſilio, quam ſtatum temporis ſpatium traducendi, quod alioquin vos tædio afficeret, concionatorem loquentem perſtringendi, vel ſtylum, argumenta, figuraſque orationis agnoſcendi, & corrigendi; cum videt vos non aliis, quam humanis rationibus actos huc pedem inferre, cum videt vos aliquando etiam obfirmato, certoque animo ingredi reluctandi ſanctis impreſſionibus, quas in vobis efficere poſſunt veritates, quarum libenter memoriam abjicitis, & quas non niſi ægre, & gravate recogitatis? Nihil dico de intentionibus aliis, quæ multo nequiores ſunt; omnia hæc iniquitatis myſteria tenebris involuta relinquo, ac utinam ibi in æternum obruta jaceant. Poſt hæc nil mirum eſt, ſi Dei verbum in nobis inutile ſit; nil mirum, ſi alimentum hoc ſaluberrimum nobis pernicioſiſſimum virus fiat, & verbum ipſum, quod noſtræ conferre debet juſtificationi, noſtræ conferat calamitati. *Id.*

Niſi ex Dei verbo proficimus, ſumus nocentiores.

Dei verbum gratia eſt; & gratiis Dei hoc proprium ineſt, quod nos efficiunt nocentiores, niſi meliores efficiant; tunc enim omni caremus excuſatione, atque nobis integrum eſt, noſmet colligere, atque ſanctificare. Proh Deus! nunquid toties ſacrum hunc conſcendi ſuggeſtum, ut aliquid conferrem ad earum animarum excidium, quas opera mea ſalvas fieri exoptabas? Nunquid ego populo tuo lapis offenſionis extiterim; & quod tu in ſacris Bibliis dixiſti, in illis, qui me audiverint, adimpleatur: peccatores videlicet devoraſſe verbum tuum, & verbo hoc viſcera eorum diſcerpta fuiſſe?.... Quænam vobis erit, Auditores, confuſio, quis dolor, quæ deſperatio, cum ex vobis rependet Deus rationem tot documentorum, quæ vobis tradita fuere, & ex quibus nullum fructum percepiſtis? Cum dicet: vobis indigitata via fuit, quam ingredi debebatis, nunquid illam ingreſſi fuiſtis? Monita vobis data fuerunt, nunquid illa amplexati eſtis? Centies declamatum fuit contra furores, ultiones, juſtitias, impudicitias veſtras; centies vocati, ſollicitati, coacti fuiſtis, ut pœnitentiam amplecteremini: verum quomodonam hæc excepiſtis? quid reddidiſtis? Nunquid minus iracundi, minus violenti, minus cupidi, minus voluptatibus dediti fuiſtis? Ullum ne pedem protuliſtis, ut in vias meas, ut ad me reverteremini? &c. *Idem.*

Rationes, propter quas Dei verbum pluribus eſt inutiles.

Quæritur, cur Dei verbum pleriſque fidelium ſit inutile? Heu! Quinam illis utile ſit, quandoquidem plerique hoc verbum audiunt non tanquam Dei, ſed tanquam hominis verbum. Alii hoc audire volunt tanquam ad tempus fallendum: alii per occaſionem illi adhibent aures, alii ſpiritu curioſitatis, & ut aliquam inde oblectationem percipiant. Non loquor de illis, qui ad illud audiendum cenſorio accedunt ſupercilio, quomodo Phariſæi Jeſum Chriſtum audiebant: *ut caperent eum in ſermone.* Matth. 22. Illum audiebant quidem, ſed animo, ut ne verbum quidem minus prudenter prolatum elabi ſineret; immo conſilium ceperant illi errores, ac nefarias profanationes imputandi, ſed hoc hominum genus rarum, & infrequens eſt... Non deſunt alii, qui per conſuetudinem Dei verbum audiunt: ad illud accedunt conſilio ejus audiendi, nec alium referendi fructum, quam quod illud audiverint: ſeu quod cum ſuapte natura ſint rudes, ac imperiti non ſatis habent ingenii, ut inde proficiant; ſeu quod cum ſatis ſint per ſe perſpicaces, verbum hoc nullo habent in diſcrimine, neque illud tanquam Dei verbum recipiunt. Alii quaſi ad ſolatium aliquod confluunt: hi ad concionem tanquam ad comædiam accedunt; at quomodonam inde recedunt? niſi majori cum nauſea, atque faſtidio, quod quidem apertum eſt reprobationis illorum indicium. *P. Bourdalove ſermone hujus argumenti.*

Dei verbum niſi ſalutem noſtram operatur, noſtrā operatur damnationem.

Multa ſunt, quæ inutilia eſſe poſſunt, quin noceant; at quædam ſunt, quæ ubi non proſunt, non obeſſe non poſſunt. Id genus remedia ſunt, & alimenta, ex quibus niſi ſtomachus utilitatem, detrimentum ſane percipiat oportet, & pharmacum ſtatim in virus convertitur, ubi ægrotanti non medeatur. Hoc ipſum Dei verbo accidit, S. Bernardus inquit; cibus non eſt, neque medicina animæ indifferens: ſtatutum eſt, ut vel vitam operetur, vel mortem, quarum niſi priorem, poſteriorem neceſſario operatur. Quamobrem idem Pater ait, Dei verbum in Bibliis modo gladius, modo cibus vocatur; utilis eſt gladius, cibus eſt ſalutaris; ſed quemadmodum gladius ſcite attrectantem tuetur, ac vulnerat furentem, qui illum in ſe ipſum convertit; quemadmodum cibus roborat ſtomachum, a quo facile digeritur, crudum vero, ac male digerentem enecat, ita Dei verbum, quacunque ex parte accipiatur, ſuum ſemper parit effectum: *Sic erit verbum, quod procedit de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Iſai. 55. *Idem.*

Mirum eſt, quod hodierna die adeo exiguus ſit divini Verbi fructus.

Unde nam fit, quod Dei verbum, quod olim in ore Apoſtolorum adeo mirabiles edidit effectus, in noſtro ſit adeo ſterile? Quodcunque in ſolum divinum hoc decidat ſemen, in incultis, barbariſque regionibus, terras ſatis bene paratas invenit, ubi centuplum reddit fructum, & in eccleſiæ ſinu, in terra benedictionis toties Jeſu Chriſti irrigata ſanguine, ubi vitæ fontes, & ſanctæ ſacramentorum ſcaturigines ubique fluunt, ubi evangelicorum oratorum nubes indeſinenter uberes ſermonum ſuorum imbres effundunt, ubi omnes domini miniſtri ſudores, ac vigilias conjungunt, pretioſum hoc ſemen terras ſilicibus conſitas, & humore carentes invenit, ubi germen illius vix ortum exareſcit, publicas vias, ubi prætereuntium pedibus feritur, tribulos, ac ſpinas infelices, quibus ſuffocatur.. Hic Spiritus ſanctus, qui cum vult, & ubi vult, ſpirat, non animat amplius eccleſiam in hiſce regnis, ubi tot ab hinc ſæculis ſuum conſtituit imperium, & ubi nullum ferme extat adhuc divinarum operationum ejus veſtigium? Heu! Dei brachium abbreviatum non eſt, & gratia ipſius ſemper eſt æque potens, cum hominis infidelitas nullum obicem ſtatuit. Undenam ergo, dicam iterum, provenit in gratæ vineæ ſterilitas tanta opificum, a quibus excolitur, copia? Nunquid concionatores, an vero auditores cauſa ſunt earum maledictionum, quibus illa perculſa videtur? Nunquid hoc acceptum referendum eſt manibus, quæ ſemen effundunt, an agris, qui illud recipiunt? *Abbas du Jarry ſermone Sancti Franciſci Xaverii.*

Dei verbum guſtare non poſſumus, & quare.

Evangelicæ veritates aures quidem noſtras afficiunt, corda vero non item; audiuntur ab omnibus, non autem recipiuntur, intelliguntur, ſed raro probantur. Dei eſſe opus eſt, ut divini verbi ſermones bene intelligantur: ejus filios eſſe opus eſt, ut paterna illius documenta æqui bonique fiant. Deus illa nobis dicit per os incarnati Verbi ſui; nos poſt hunc illa palam iteramus. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: attamen nos nonniſi inviti illis aſſentiri poſſumus, iiſque ſemper ſexcentas funeſtas contradictiones im-

miſcemus. Nobis placere non poteſt, Deum in ſe ipſo loqui, quin audiatur, inſanæ quippe curioſitates noſtræ latius facultate noſtra extenduntur: neque pati poſſumus, quod ille palam nobis ad bene vivendum leges irrogavit; quia ſanctitas earum cum morum noſtrorum corruptione conciliari non poteſt. Cogitationes noſtræ, quarum nimia imbecillitas eſt, & nimis magna irreverentia, dolent, eo quod aſſequi, nequeunt hujus increati, & inauditi verbi miracula: ſenſuſque noſtri nimis carnales irritantur contra evangelica verba, quia nobis viam oſtendunt, quam ſequi detrectamus. *Ex ſpecimina eloquentiæ Abbatis de Aubignac ſermone de Incarnatione.*

Audire cupimus concionatores ſeveros, ſed exercere nolumus, quod dicunt.

Perpendite quæſo delicatum hujus ſæculi ingenium. Evangelium audire cupimus ſecundum omnem ſeveritatis ejuſdem magnitudinem, volumus diſciplinam ejus ſecundum omnem auſteritatem exponi ſeveriſſimi quæruntur concionatores, cupimus illos contra vitia generatim detonantes audire, neque gravate ferimus eos ad peculiaria deſcendere argumenta, atque in illa invehi ſcelera, quæ non amantur. At aliquando ne declamant contra affectum illum, qui nobis dominatur, contra ambitionem, luxum, intemperantiam, avaritiam, aliaque plura id genus ſcelera? Tunc ſtatim ſermo convertitur; tunc exigitur, ut concionator vivere novit. Qui genere excellunt, ſed opibus non admodum abundant, geſtiunt illos audire, qui contra ſubitas opes invehuntur; audire gaudent; generis dignitatem præ divitiis magis eſſe ſpectabilem; atque tunc cum voluptate aures adhibent concionatori evangelicas veritates non imminuenti. Verum ubi vel leviter attinguntur, illico reddunt, nimis dici, & hanc non temporum noſtrorum veritatem. Libenter nos contra mundi ornamenta diſſerentes auditis vos, quos ætas, & devotios ab hac obtrectatione tuetue, ſed ſi aſſertis hujuſmodi devotis hominibus dixerimus, modeſtas veſtes cum charitate debere eſſe conjunctas, monitum hoc ſatyram putant. Si contra ſpectacula invehimur, a vobis probamur, atque niſi hoc faceremur, nobis ſuccenſeretis, quandoquidem vos theatra non movent; at ſi oſtendimus avaritiæ ſpiritum chriſtianæ religionis ſpiritui adverſari, illico non ſine querela receditis. *P. de la Rue ſermone hujus argumenti.*

Refellimus veritates, quas concionator annuntiat, ubi diſplicent nobis.

Si peccatori peccatum ipſius ob oculos ſtatuo, ſi illi, quid ſit in corde, repræſento, ſi oſtendo ſcandalum, quod præbet, peccato ipſo majus eſſe, quia ſibi mortem conſciendo hanc aliis etiam infert, dicet ille hos eſſe ſermones, quos pro libidine ipſe configo. Si Dei iram illi portendo, atque probo infinitos propemodum peccatores, qui, ut ipſe, ſperabant futurum, ut aliquando peccatorum ſuorum agerent pœnitentiam, morte fuiſſe præſeptos, quin per tempus ipſi de pœnitentia ne cogitare quidem licuerit, magnis hiſce, ac terribilibus veritatibus quid reſpondebit? Dicet proculdubio divinæ miſericordiæ theſauros ſemper patere. O pravas peccatorum artes, qui non ſolum ipſi ſibi ſe diſſimulare, ac propria abſcondere ſtudent peccata, ſed hæc ſibi ab aliis etiam tegi deſiderant! Hæc amplius non ſunt Iſaiæ Prophetæ tempora, quibus verba dari ſibi peccatores cupiebant: *loquimini nobis placentia.* Iſai. 70. Hodie prorſus oppoſitum dicitur. Neminem palpate, libenter inquiunt, ſed mihi blandiminor, vel ſaltem ſcelus meum excuſate. *Idem.*

Negligentia, qua Dei verbū auditur.

Quam negligenter, & oſcitanter Dei verbum auditur? Concionis locus nonne ille eſt, quo minori cum animi diſpoſitione convenimus? Quonam ardore? Heu fideles! Quonam ardore ad publicos mundi hujus cætus confluitis? Nonne ibi mira cum attentione tragicum aliquod opus bibulis auribus excipitis? Nonne comædiis ſumma cum voluptate, ac ſine ullo tædio aſſidetis? Locorum, ubi hæc peraguntur ſpectacula, aditus luſtrate, nonne ibi ducentas, & ultra rhedas ultro citroque ſibi inhærentes, impeditaſque videbitis? Illic horæ non numerantur, cogitatio, mens, cor, omnia ibi impenduntur; cogitationes, quæ illinc domum referuntur, interdum, noctuque recurrunt, ac animo volutantur; animuſque noxiis paſcitur amoribus, qui illic contrahuntur. Quonam me adigit, Domine, ſæculi noſtri calamitas; Num evangelicarum veritatum ſuggeſtus cum mundanis theatrorum ſolatiis conferendus eſt? Cur fatali neceſſitate cogor auditores meos orare, ut eadem attentione, feſtinatione, & cura in templum verbum tuum, Domine, accedant audituri, qua in hæc ſcelerum, & ſcandalorum loca concurrunt. Nonne hæc erat Sancti regis David querela, cum dicebat: Perplacet impiis audire fabulas, legem autem tuam perhorreſcunt; *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* Pſ. 218. *Idem.*

Concionatores judicii die accuſabunt, & damnabunt auditores ſuos.

Quid in judicio ad damnationem veſtram requiretur? ſermones mei (lectiſſimi Auditores) & illi concionatorum

ſorum omnium, quos audiviſtis, ſed cum adeo modico fructu. Quid! Egone magna illa die veſter ero accuſator; ego, qui impenſius vos & diligo, & colo? ego, qui libenter pro vobis totum meum cruorem effunderem? Quid intereſt? ſecreto dicitis, vitæ rationem immutare nolo: ego igitur magna illa die inſurgam in vos, & licet nequaquam vos damnaturus inſurgerem, pro me verba mea vos damnarent, & quamvis tacerent, graviſſima hæc exprobratio clamaret ex ſe: ſalutem tuam facere potuiſti, nec feciſti, hac re nocentior es. Heu! veriſſimum eſt, vobis rationem magis terribilem reddendam eſſe, quam ſi nunquam Dei verbum audiviſſetis: ego igitur ſupplicium veſtrum magis atrox, interitumque veſtrum magis miſerum effecero! Ne hoc permittas, o bone Deus! Si vox mea nimis infirma eſt, ego quidem ſilebo; fac Domine, ut loquatur ſanguis tuus, ut agat gratia tua, ut peccatores oderint peccata, & ad pœnitentiam convertantur. *Idem.*

Obligatio audiendi verbum Dei.

Obligatio Dei verbum audiendi ex hujus miniſterii natura deſumitur. Hoc ſi ignoras, audi S. Paulum docentem: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* 2. ad Cor. 5. Nos Jeſu Chriſti legati ſumus apud vos: atque propter hunc characterem nos audire debetis, quemadmodum ipſum audiretis Deum; hic enim ipſe eſt, qui nos labiis noſtris hortatur. Verum ſi propter hunc characterem nos cum docilitate, ac reverentia debetis audire, propter eumdem & ipſi cum vi, ac libertate loqui tenemur. *P. Aurelianenſis ſermone de amore veritatis.*

Dei verbum non debet humili modo annunciari.

Dei magnitudinis, & majeſtatis intereſt, voluntates ejus auctoritatis tono, qui ſupremam illius indigitat poteſtatem, pronuntiari. Non ideo dixerim tamen prohiberi, ne concionatores arte, atque eloquentia utantur; hoc illis ſane permittit; eccleſia quippe quæ ſemper Spiritus ſancti luminibus regitur, vulgo eos eligit, qui hac arte pollent, ut illis evangelici verbi miniſterium committat. Sed ajo, eccleſiam permittentem hoc velle ita eos uti, ut Dei verbo nihil auferant imperii, & dignitatis, quæ illud a ſupremo rerum Domino profectum oſtendit. Itaque a divino hoc verbo apage omnem diſſimulationem, omnem aſſentationem; apage omnes adfectatos ornatus. Indignum eſt, S. Hieronymus inquit, videre magnum hunc popularum dominum prodire, quod accidit aliquando in quorumdam concionatorum ore, omnibus profanæ rhetoricæ lenociniis ornatum, ac inanibus thuribus excipiendis, quam bonis documentis tradendis aptiorem. *Idem.*

Deus in miniſtris ſuis conſtantiam, & fidelitatem requirit.

Si libertas, quam ſibi vindicant concionatores in ſcelera invehendi, eos lædit, qui iiſdem obnoxii ſunt, illi, quibus hæc gravis eſt, orandi ſunt, ut illos miniſtros eſſe cogitent ejus Domini, qui ab illis omnem exigit fidelitatem, & apud quem hæc conſtantia cæterorum talentorum obtinet locum. Deus, ubi vult, noſtra non indiget eloquentia, neque exigit, ut diſerte loquamur. Cum miſit Jeremiam, ut ad populum Iſrael prædicaret, Propheta hic ſe ægre loqui cauſatus eſt. Excuſationem hanc non admiſit Deus, quemadmodum olim Moyſis excuſationem rejecit: *Noli dicere*, ait illi, *puer ſum*, ea in re, cui te præficio, nullum mihi opus eſt eloquentia tua: *Surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi; ne formides a facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum.* Acquieſce, ac ſine, me iis, quæ tibi deſunt, ſupplere. Hoc igitur caput eſt ejus miniſterii, quod exercemus; hoc maxime neceſſarium eſt noſtræ legationis opus, hoc potiſſimum nobis onus incumbit. *Idem.*

Ratio, propter quã multi ad verbum divinum audiendum non veniunt.

Plurimi ad Dei verbum audiendum non veniunt eam ob cauſam, quam ipſe Jeſus Chriſtus memorat in evangelio; *Omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Veritas, quam ſecum gerit Dei verbum, lumen eſt, quod in animam peccatoris jam pridem in voluptatibus alto obruti ſomno effuſum illi omnem ſcelerum ejus horrorem oſtendit. Ad ſpectus iſte illius requiem perturbat, & hæc perturbatio efficit, ut in ipſo veritatis odium oriatur. Triſte, ac importunum lumen, quod illi ob oculos objicit, quod numquam videre voluiſſet: odium veritatis, quæ timetur, prohibet, ne multi ad Domini vocem audiendam concurrant. *Idem.*

Patimur concionatores in vitia quædam invehi, in alia vero nõ item.

Donec zelus noſter in adulteros tantum detonabit, donec in alienæ rei uſurpatores duntaxat declamabimus, donec in injuſtas, ac populorum ſanguine cæmentatas fortunas invehemur, auditores dociles & audient, & hæc nos exprobrantes laudibus cumulabunt: quippe cum ſint his criminibus vacui, hæc talia eſſe judicant, qualia ſunt. Verum ſi quamdam mollem, inertemque vitam perſtringere incæperimus, qualem hodierna die ducunt voluptuarii homines illam, quam, dicimus pulchriorem mundi partem, conſtituentes; ſi ſingillatim eas perſequimur occupationes, quibus contexta eſt; ſi diſceptamus de ludis, quibus ibi luditur, de commerciis, quæ ibi nectuntur, de conſuetudinibus, quæ ibi dominantur, de ſolatiis, quæ illic uſurpantur; ſi hæc omnia ad ſanctuarii trutinam appendimus, ſi libere ea quæ ſentimus, ſecundum evangelii, & chriſtianæ morum diſciplinæ normam loquimur; ſi pronunciamus ludum hunc, ubi luditur alea pernox, & in periculum conjicitur tantum temporis, aurique, magnum eſſe peccatum contra amorem familiæ, & contra neceſſitatem pauperibus opem ferendi; ſi dicimus, quaſdam aſſiduas ſervitutes, quas adeo facile patiuntur mulieres, populo quidem eſſe ſcandala, ipſarum vero pudicitiæ ſcopulos; ſi cum Tertulliano, vana earum ornamenta vocamus animarum cædes, atque venena; ſi confeſſariis auctores ſumus, ne illas abſolvant, quæ recenti hoc indumentorum ritu immodeſte quaſdam nuditates oſtentant; ſi dicimus, hanc placendi libidinem raro eſſe leve peccatum: ſi noſtram de ſpectaculis mentem aperimus, nobis id, quod olim Jeremiæ, ſuccinent, *quid clamas*? Jerem. 25. Cur tanto clamore perſtrepis ob res adeo leves, cum ſcateat mundus tot aliis ſceleribus, in quæ utilius tuum zelum exerceas! Proh Deus! Quomodonam vultis me temperare, ne clamem, cum videam vos circumundique faces, ac malleolos Domini domui admoventes? Heu! quid tandem intereſt, utrum inſignes, an mediocres peccatores ad illam conflagrandam tædas, & ignem applicent? Peccata hæc, quæ levia videntur, omnem Chriſtianiſmi faciem late populantur. Peccata hæc, quæ levia videntur, efficiunt, ut ibi voluptas regnet, & mollem hanc vitam Epicuri ſchola, quam Jeſu Chriſti diſciplina digniorem invexerunt. Prohiberis, ne clamem: at Spiritus ſanctus e contra urget uſque, ne clamare ceſſem; *Clama ne ceſſes.* Iſai. 58. *Idem.*

Poteſtas, & vis Verbi Dei.

Meminiſtis proculdubio earum laudum, quibus regius Propheta ea admiratus prodigia, quæ divinum hoc verbum operatum fuerat, illud concelebrat, ejus virtutem, ac poteſtatem tonitrui comparans homines magis intrepidos perterrefacienti: *Vox Domini ſuper aquas. Deus majeſtatis intonuit.* Pſ. 38. furenti vento obvium quodlibet confringenti, atque evertenti, ac proceras libani cedros evellenti: *Vox Domini confringentis cedros*; igni ita devoranti, ut nihil vim ejus effugere valeat: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Vel ut ſine figurarum integumento loquamur; noſtiſne illum prædicere nobis venturam aliquando diem, qua potentiſſimi terrarum principes, celeberrima ingenia verbi hujus vi cogentur ſeſe evangelico jugo ſubjicere, barbaros, indociles que populos illecebris illius ceſſuros, ut ſanctis tantummodo præceptis aures adhibeant, ac ſe in ſublimiorum virtutum praxi perficiant: rudes, infirmos, illiteratoſque homines prodituros coram tyrannis tanta animæ magnitudine, atque conſtantia, ut ſimul Domini inimicis admirationem, & confuſionem immittant. Enim vero mundus hic ex idolorum cultore Chriſtianus factus, crux in capitolio, & regum diademate poſita, templa ædificata, aræ iiſdem in locis extructæ, ubi patres dæmoniis proprios immolaverant filios, vaſta deſerta tot illuſtrium eremitarum ſudoribus, & ſanguine irrigata, mirabilis martyrum numerus, qui exquiſitiſſima tormenta ſunt paſſi pro iis tuendis veritatibus, quas divinum hoc verbum illos edocuit, nimis manifeſta ſunt virtutis ejuſdem argumenta, ita ut nullus dubitandi locus ſuperſit. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Camillard.*

E concionatoribus ille poteſt eligi, qui in corde noſtro majorem efficit impreſſionẽ.

Cum chriſtianus invenitur orator, quem ars, & natura diſertiſſimum effecerunt, nullus ſupereſt electioni locus pleriſque fidelium. Voluptas audiendi ſermonem meditatum, caſtigatumque, cujus omnes ſententiæ ſublimes ſint, locutio perſpicua, & elegans, ars exquiſita, partium diſpoſitio apte connexa: ubi omnia feliciter ordinata ſunt, ubi egregium ubique renidet ingenium, ubi nihil moleſtum accidit, ubi plurimi, uberesque eloquentiæ loci inveniunt, ubi vivax, ac induſtrium oratoris acumen ubique deprehenditur: præſertim vero ſi comes accedat opportunus corporis habitus, vocis tonus diſtinctus, ac penetrans, geſtus inflexus, ſed ſimplex; promptus, & alacer ſpiritus, & neſcio quid, quo fit, ut quæcumque dicuntur, maxime placeant; voluptas, inquam, hujuſmodi ſermonem audiendi ſuavis eſt adeo, ut eadem ſe quilibet rapi patiantur. Quin autem conſuetudinem hanc adeo univerſalem, atque hoc adeo commune in mundo ſtudium improbemus, reor etiam ſecundum Deum, prudentius agi non poſſe; ſupremus enim hic Dominus, qui ſemper ad finem ſuum tendit, hoc eſt ad ſuam quidem gloriam, noſtram vero ſalutem; qui gratias ſuas non diſtribuit, niſi quatenus referuntur ad ea, quæ ipſe in ſtatutis æternis decrevit, probabiliter magna hæc talenta iis ſolum

con-

concedit, quos elegit tamquam apta inſtrumenta, ut ex divino verbo uberem fructum percipiat. Illum ſua bonitas noſtris infirmitatibus indulgere jubet: cognoſcit præcepta ſua, quanquam divina, tamen hoc naturali indigere ſubſidio, ut facilius in corda noſtra ingrediantur; nam quamvis eorum ſit Dominus, gratia plerumque ſe ſe naturæ ſtudiis accommodat, atque mortalium ingenio, atque naturæ ſubmittit. *Idem.*

De concionatoribus plauſum quærentibus.

Quot hodierna die concionatores inveniuntur, qui obliti auream hanc S. Hieronymi ſententiam, opus videlicet eſſe, concionatores auditorum lacrymis, & ejulatibus commendari: *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur; lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint*: Quot, inquam, prorſus oppoſiti inveniuntur ingenii, qui templa in theatra, & cœtus noſtros in vera ſpectacula convertunt? Totidem actores ſunt in ſcenam prodeuntes. Operis eorum finis erit, ſexcentis turpiſſimorum ſcelerum ad vivum expreſſis imaginibus auditorum curioſitati feciſſe ſatis, publicaſque laudes tuiſſe promeritos. Infelices evangelii prævaricatores, bonum ſibi creditum ſemen corrumpunt; ac Dei verbum adulterant. *Adulterantes verbum Dei.* 1. ad Cor. 2. Sermones iſti, ad quos invitamus, ad quos ambitu veluti quodam compellimur, poſt quos officiis laudum, gratiarumque certa cogimur; elegantes iſti, florenteſque ſermones mihi ſuſpicione non carent. Concionatores, qui in arduo hoc munere humanis tantum laudibus aluntur, qui illud exercere ceſſant, ubi populi rumor illis non favet amplius, & qui non niſi in delecta auditorum corona loqui volunt, quam indigni ſunt hoc miniſterio! In his apoſtolicum zelum deſiderio. Figite, Fideles, hoc concionatorum genus; quærite, quomodo voſmet convertatis, non autem quomodo indignorum horum evangelii præconum ambitionem, & vanitatem alatis. *Idem.*

Peculiaris eſt gratia Dei ſanctus concionator.

Inter magis apertas peculiaris Dei erga populum aliquem providentiæ gratias ea eſt, illis ſanctum mittere concionatorem. Hoc unum eſt ex ſubſidiis exterioribus, quibus utitur ad cordium noſtrorum duritiem leniter molliendam, eoſque divinis ejus luminibus ſenſibiles efficiendos. Quot urbes, quot provinciæ, quot regna id experta ſunt, quod dico! Si religio ibi adhuc integerrima floret, ſi virtus ibi in honore habetur, ac pretio, ſi vitium illinc exulat, ſi omnia ibi evangelica ſimplicitate peraguntur, hi effectus ſunt verbi cœleſtis, quod ſancti Dei viventis miniſtri ibi prædicarunt. Sed hoc donum, hæc gratia, hoc beneficium ejuſdem eſt naturæ, ac aliæ gratiæ, quas nobis Deus aufert, cum primis ejuſdem perquiſitionibus ingratum animum profitemur. *Idem.*

Divini verbi gratia noſtram expetit cooperationem. Quid! Sedulo expetentes, ut evangelii miniſtri ſe ſe ea, qua fieri poteſt, ſollicitudine, ac diligentia præparent, non ſemel ea, quæ ſibi dicenda ſunt, meditentur, prudenter eligant argumenta, quæ vobis conveniunt, eaque perſpicuo ordine, & ſermonis elegantia pertractent (ille enim, cui hodierna die horum aliquid deeſſet, in ſe omnium contemptum, & ludibria converteret) ſedulo, inquam, in evangelicis miniſtris hæc equirentes vos tranquilli eſtis, & negligitis fructum, quem uberrimum ex ſalutari hoc verbo haurire poteſtis? Omnia igitur in nobis, noſtroque miniſterio ſita ſunt? Vobis autem ſatis eſt in templum veniſſe? Haud ita profecto. Veniſtis, ut dominici verbi participes fieretis, ad vos iſtud dirigitur? conamini ergo pro viribus proficere, & eum, quem decet, fructum inde percipere. *Idem.*

Quid auditoribus faciendum, ubi cõcionem audiverint,

Statim ac concioni finis impoſitus eſt, quid agunt auditores? Ipſorum profecto eſſet ſigillatim comparare ingens illud diſcrimen, quod intereſt inter eam, quam ducunt vitam, & eam, quæ ſibi nuper ſecundum evangelii, ac fidei, quam profitentur, regulas præſcripta fuit: animo ſuo altius imprimere terribiles veritates, quæ ſibi annuntiata fuerunt, & quæ obduratiſſimo cuique timorem poſſunt incutere, & corda ſua ab illis divellere objectis, quibus ad furorem uſque faſcinantur; inter tot generalia præcepta, quibus vulgo immoramur, ea ſecernere, quæ ad ſe proprius ſpectant, ſibique ſunt propria; ex ſe eas diluere dubitationes, quas animus ſenſibilium rerum atque occupatus tunc temporis ſibi propoſuit; ſubinde reputare valida argumenta, patheticoſque motus, qui in ipſis bonos ſenſus excitarunt; memoria repetere inita conſilia virtutis amplectendæ, ac relinquendæ occaſionis peccati illius, unde cætera animæ ſuæ mala dimanant, moderandi actione ſuas aliquos chriſtianæ mortificationis rigores experiendi; verbo, agendi ſecundum ea, quæ ſibi prædicata fuerunt. Sed non ita. Ita ſeſe gerunt, quaſi verbum hoc nullum haberet effectum, quam cum noſtros afficit ſenſum, dum prædicatur; ad priſtinam redeunt negotiorum turbam; eaſdem conſectantur volutates, obliviſcuntur eorum, quæ ſibi dicta fuere, & ne minimam quidem illorum ſpeciem reſervant. *Idem.*

Chriſtiani ſæpe audire debent Dei verbum.

In mundi creatione Deus ſæpe locutus eſt. Primum; quod protulit verbum; cœlum, & elementa creavit, ſed confuſe, & indiſcriminatim. Sequentia illis ordinem, pulchritudinem, ornatuſque præbuerunt. Dei vox prima ſtatim dejecit ſemina, rerumque omnium principia, ſed perfectionem ſexta tandem recepere. Hoc ipſum accidit gratiæ. Sæpe loquitur Deus noſtræ ſalutis opus conſummaturus. Primum in baptiſmo per os miniſtri ſacramentum hoc conferentis; deinde paſſim in toto vitæ decurſu miniſterio concionatorum, a quibus erudimur. Primum quidem ut nos in Jeſu Chriſto regeneret, deinde vero ut nos formet in Jeſu Chriſto. In baptiſmo omnia ſalutis principia recipimus, fidem, ſpem, & charitatem, ſed omnes hæ virtutes roborantur in nobis, ſuamque perfectionem recipiunt per miniſterium verbi, quod animæ defectus corrigit, eique tribuit gratias, & ornamenta, quæ deſunt. Itaque miniſterium hoc ars eſt, cujus objectum eſt hominum ſanctificatio; ſed proh quam longe ab aliis ars iſta differt? In aliis artifex non tenetur ſemper ad ſuum opus incumbere; poſtquam dies aliquot in eodem inſumpſit, illud ad tempus relinquere poteſt, atque ubi placuerit, eidem admovere manum, & quocumque in ſtatu illud reliquerit, certus eſt ſe illum in eodem eſſe inventurum. Oppoſitum prorſus Dei accidit verbo. Cum indigeamus, quod nobis in ſingula fere momenta loquatur Deus, ita perpetuam habemus verbi hujus vel audiendi, vel meditandi neceſſitatem. *Auctor ſerm. chriſtianorum ſerm. pro Dominica Sexag.*

Plurimi Dei verbum audire nolunt ne illud exercere teneantur.

Quampiurimi ſunt, qui terribiles chriſtianæ religionis veritates audire nolunt, & qui iis tantum adhibent aures, quæ ſibi accidunt perjucunda: *Filii nolentes audire legem Dei.* Iſai. 30. Homines ſunt, qui prædicatoribus dicunt, quod olim Iſaiæ Prophetæ auditores, ne obtrudatis nobis triſtes has, moleſtaſque veritates; dicite ea ſolum, quæ aures; & cor noſtrum palpare poſſunt: *Loquimini nobis placentia.* Fallere nos potius, quam mœrore afferre velitis. Nos a via hac aſpera, & difficili avertite.? *Auferte a me viam, declinate a me ſemitam.* Sed væ ignavis hiſce concionatoribus, qui hujuſmodi mortalibus placere ſtudent, eos vero corrigere non audent. Hoc eſt Auditores ipſos prodere, eiſque venenum pro eſca præbere. *Specimen ſermonum pro die Pentecoſtes.*

Sibi quiſque ſingillatim applicare debet ea, quæ generatim a concionatore dicuntur.

Cogitare debemus, Deum per os concionatoris nos alloqui. Lapſus fuerat David in ſcelus, quod longe plura complectebatur, & cujus enormitas obduratiſſimum quemlibet movere poterat: attamen quid opus fuit, ut ille ſuum ſcelus agnoſceret? Hoc ille non ita pridem patraverat, ac illius ita jam fuerat oblitus, ut frigide graviſſima audiret exprobrationes, quibus illorum Propheta increpabat, quin cogitaret, hunc de ſe loqui, & donec ſibi dictum non fuit, *Tu es ille vir*: ille nunquam ſe ſe collegit, aut facinus ſuum intelligeret. Hoc pleriſque peccatoribus accidit: admonentur ſcelerum ſuorum, & eorum crimina ante oculos ipſorum ſtatuuntur; ipſi vero ne ſibi quidem verba fieri cogitant, Concionator Dei nomine deteſtatur luxum, & mundanarum mulierum vanitatem? illæ, quarum præcipue res agitur, de aliis quibuslibet ſermonem eſſe putant. Illis exhibetur horror libidinum ſuarum, eique oſtenditur periculum ejus commercii, quod morum elegantia vocatur, & quæ hoc ſcelere magis imbutæ ſunt, hæc ſibi nequaquam dici arbitrantur. Si hominibus verſutiæ deteguntur injuſtæ, quibus diteſcere quærunt ſumptibus eorum, qui egeni ſunt, atque in neceſſitate verſantur; illi ipſi, qui fænore, vel rapto vivunt, ne animum quidem ſæviſſimis ſuis injuſtitiis advertunt. Ut ex verbo Dei fructum percipiamus, credendum eſt, Deum nobis loqui per os concionatoris, nobiſque applicanda ſunt ea, quæ dicuntur, non autem in alios rejicienda. *Ibidem in Dominicali ſermone de cæcitate.*

Dei verbum accipiendum eſt, quin ulla habeatur ratio concionatoris.

Dei verbum panis eſt, ex quo vivitis: fame laborantes, S. Auguſt. inquit, dedignaremini panem ab homine charitate quidem prædito, ſed parum eleganti forma recipere? Dei verbum eleemoſyna eſt, quam erogat; dedignaremini ſumma egeſtate confecti eleemoſynam recipere, quia offerentis manus lepra eſſet imbuta? Quantumvis indignus, & nocens ſit concionator, dummodo probata ſit, & orthodoxa ejus doctrina, ſemper Dei prædicat verbum, verbum, quod ille quidem dedecorat, ſed verbum, quod per ſe ab illius bonitate, ſeu nequitia non pendet, verbum, quod vos accuſabit, quod vos judicabit, quod vos damnabit, ſi reſtitueritis illi, & ſi illud diſtribuentis indignitatem in miſeram flagitiorum veſtrorum excuſationem converteritis. *Fermentiere ſermone Sancti Dominici.*

Mirum

Dei filius producitur per verbum ubicumque ſit.

Mirum eſt, quod ubicumque Dei filius invenitur, per verbum ſuper producatur. Cum in Mariæ ſinu productum fuit, voluit Deus verbum aſſentientis ad temporalem illius productionem concurrere, & fides nobis illum in ara adorandum proponens nos credere jubet, hoc ipſum myſterium Sacerdotum verbo deberi. Ita quocunque in ſtatu Dei filium conſideremus, ſemper verum eſt, ipſum verbo produci. Miraculum hoc, quod Angeli, hominesque ſtupent, alterius miraculi fundamentum eſt, quod non minori dignum eſt admiratione? quia quemadmodum Jeſus Chriſtus ſuam ſemper nativitatem ex verbo recipit, ita nullam niſi per verbum poſteritatem reliquit, Apoſtoli omnes filii ſunt verbi: vox illis fuit ſacrum germen, quod ipſis contulit vitam, & quemadmodum productio eorum ſpiritualis erat omnino, ſatis fuit, Jeſum Chriſtum loqui, ut eorum pater exiſteret. *Idem ſerm. S. Andreæ.*

Deus paſſim per prædicationem ad ſe nos trahit.

Deus ſecundum providentiæ ſuæ ordinem ad ſe non trahit homines, niſi per prædicationem. Et profecto hæc præſtantiſſima, & efficaciſſima ratio eſt, qua utitur, ut nos ſuis illuſtret luminibus, de noſtris officiis erudiat, vanitatum noſtrarum errorem nobis auferat, nos a peccato removeat, ad pœnitentiam adducat, atque animos addat ad eas ſuperandas difficultates, quæ in praxi virtutis occurrunt. *Auctor Anonym.*

Omnia obediunt verbo Dei præter hominem; qui ſæpe eodem rebellis eſt.

Satis non eſt Dei verbum meditari, adimplendum eſt. Dei verbum lex eſt, legis exercitium eſt facere, quod illa jubet: Dei verbum ſemen eſt; ſeminis uſus eſt, illum excolere, & efficere, ut fructum ſuum afferat. Talentum eſt: igitur in quæſtu, & commercio ponendum eſt. Ita Dei verbum meditari, neque id, quod nobis præſcribit, exequi, hoc nequaquam eſt illud ſervare; Deus enim ideo nos illud meditari jubet; ut noſmet ad præcepta ſua audienda magis dociles, alacreſque præbeamus. *Auctor Sermonum chriſtianorum.*

Divini verbi victoriæ, atque triumphi.

In mundi creationes Deus ad nihilum loquitur, ac verbum illius in hanc abyſſum perlatum illinc creaturas educit. Ad terram loquitur, & hæc plantas, & animantia producit. Loquitur ad cœlum, ac ſtatim fulget pictum ſyderibus, ad vocem Dei repente ex abyſſorum ſuarum ſinu prodeuntibus. Denique ad homines loquitur Deus, & ex illis opera bona, & ſalutis fructus expoſcit; ſed per ſummum nefas homo ideo in terris poſitus, ut ſit creaturis omnibus exemplum, inter creaturas omnes ſolus eſt, qui Deo ſuam deneget obedientiam; nihilum eſt voci illius non reſpondens, terra eſt ſuffocans benedictiones ejus. *Idem.*

Quis dicendo enumerare poſſit divini verbi victorias, atque triumphos; quandoquidem hoc tantum uſi ſunt armorum genere Apoſtoli, ut univerſum terrarum orbem converterent, ut dæmones de imperio ipſorum deturbarent, ut eorum aras everterent & eas, quas in delubris extruxerant, & eas, quas in hominum cordibus collocaverant? Et quin longius abeam, nonne hoc ipſum verbum eſt, quod eoſdem triumphos omnibus perennat ſæculis in peccatorum converſione, & everſione idolorum? Nonne per hæc arma Sancti in omni bellorum genere vicerunt; Antonii in deſertis, Agnetes, & Catherinæ in rotis, Ludovici in ſoliis? O admirabilem divini verbi providentiam! O triumphantem gratiarum, quæ illud ſubſequuntur, virtutem! Sed quotieſcunque illius trophæa prædico, noſtram deploro calamitatem, videns, nos turpiter ab hoſtibus noſtræ ſalutis ſuperari, præ manibus eadem habentes arma, quibus Sancti illos toties debellarunt. Nunquid aliud hodie prædicatur evangelium ab eo, quo Apoſtoli omnem terrarum orbem converterunt? Aliudne habemus Dei verbum ab eo, quod olim tot Martyres, & glorioſos peperit Confeſſoris? Undenam ergo poſt tot ſermones hodie tot vitia inveniuntur, & in Catholicis urbibus, ubi tot conciones audiuntur, divinum hoc verbum minorem vim habet, quam in deſertiſſimis locis, atque in idololatrum regionibus? *Biroat Sermone pro prima Quadrageſima Dominica.*

Magnitudo & præſtantia miniſterii prædicandi verbum Dei.

Iſtic illi quibus honor eſt, Dei verbum prædicandi, parumper miniſterium ſuum perpendere debent, vel ut illius tueantur dignitatem, vel ut illius neceſſitatem intelligant, ne eorum vitio Dei verbum inutile fiat. Magnum profecto munus eſt homini fieri Dei unicum, ut hominibus nunciet pacem; &, ut S. Hilarius inquit, ex eorum eſſe numero, qui jaciant ſemina æternitatis in cor; vel, ut S. Ggregorius Nazianzenus ait, qui Angelorum perfungi debent miniſterio, ut dæmonibus adverſentur, ſuiſque verbis evertant, quod noſtræ ſalutis inimici in cordibus noſtris ſuggeſtionibus ſuis ædificarunt. Sed heu! quam periculoſum hoc eſt officium, ſi concionatoris vitio hæc arma fiant inutilia, ſi illi exprobrari poteſt animarum, quas non erudiit, interitus: ſi non ſatis impios homines redarguit ſi vel unus ex reprobis de illius ſilentio conqueri poſſit, &c. *Idem.*

Modus efficiendi ut divinum hoc verbum proſit noſtris animabus.

Ut ex hoc Dei verbo animæ noſtræ proficiant, illud meditemur, ac ſæpe nobiſcum animo reputemus oportet; alioquin quandonam veritates, quæ in eo continentur, in animabus noſtris effectum patere poſſunt, niſi illic aliquandiu immorentur? Quomodonam infernus, & paradiſus, beata, & infelix æternitas ullam in vobis efficere poſſunt impreſſionem, ſi obiter tantum audiatur: ſi hæ cogitationes eumdem cum concionibus finem habent, & tanquam nocturna ſomnia prætervolant? Semina ſunt, quæ æternos producere fructus poſſunt; ſed quomodonam illos ferent, ſi ſtatim abripiuntur, quin tempus illis permittantur cœleſtes influxus, & terræ humorem recipiendi? Ignis eſt, qui lumine ſuo ignorantiæ tenebras diſſipare poteſt, & ardore ſuo animorum noſtrorum frigius calefacere; ſed quomodo agere poteſt, niſi aliquantiſper immoretur, vel ſi ſtatim primæ etiam illius ſcintillæ extinguantur? Panis denique eſt, qui corroborat; ſed quomodo alere nos poteſt, niſi in ſtomaco noſtro permaneat ibi caloris naturalis actionem percepturus, & mox vim, vigoremque membris omnibus diſtributurus? Proficiendi igitur ratio eſt, remorari verbum hoc, quod prætervolat; aditum in animas noſtras præbere his vocibus, quibus aures percelluntur? domi, & per otium meditari ea, quæ in templo audita fuerunt; exequi, & in praxin redigere veritates, quas illic accepimus, & bona deſideria, quæ illæ nobis afflarunt. *Idem.*

Virtus verbi Dei deſumitur ex fine quem habuit Deus illud in concionatorum labris collocans.

Hanc Divini verbi virtutem ex eodem illam populis diſtribuendi, annuntiandique miniſterio deſumo. Quodnam eſt verbi miniſterium, & quem ad finem Deus in mundum mittit concionatores? Quid agunt illi, dum ſuo perfunguntur officio? Mittuntur tanquam legati Dei, & dicere poſſunt cum Apoſtolo: 2. ad Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, reconciliamini Deo.* Opus eſt ergo, Dei verbum, quod nunciant, in ore illorum eam habere vim, virtutemque, quam miniſterii ſui poſtulat finis ... Cum miſit illud Deus in os Apoſtolorum, ut Ethnicos converteret, voluit hanc illi ineſſe virtutem ad infidelium corda movenda: igitur ex hac eadem cauſa, cum illud mittit in os concionatorum ad peccatores convertendos, opus eſt, hos cum applicatione gratiæ diſponat ad eorum converſionem, atque ſalutem cooperandam; ipſe per os eorum loquens impreſſionem efficiat in corda eorum, quibus loquitur: illis legatorum dignitatem impertiens, iiſdem ſuam communicet poteſtatem, atque auctoritatem. Agitur de peccatore convertendo, peccato illius evertendo, ac vitiorum fonte in eodem exhauriendo. Multo labore opus eſt, magnis conatibus, magniſque præliis; quid interim Deus? Adhibet evangelii prædicationem ſua animatam gratia per os peccatorum, tanquam arma ad victoriam in hujuſmodi certaminibus ferendis validiſſima. Verbum hoc eſt gladius anceps, qui imam cordis penetrabit partem, extremamque vitiorum originem ſcrutabitur, ac inveſtigabit, quidquid noxium ac, malum eſt, ut illud abſcindat: qui dolebit, quidquid in affectibus ejus fortiſſimum eſt, & magis indomitum in voluntate: ita ut peccator concionatoris rationibus, & Dei gratiis, quæ ſocia cum illis jungunt arma, pellitur, & urgetur, ut ſeſe convertere teneatur. *Idem ſermone in feriam ſecundam poſt quintam Quadrageſimæ Dominicam.*

Magnum homini munus eſt, eſſe, ut S. Chryſologus inquit, vas legis Dei, aliquid aliorum hominum ſaluti, ac prædeſtinationi conferre, illis ſuggerendo adminicula, quæ ad eamdem certam faciendam divina providentia conſtituit. Hæ lucernæ ſunt ardente alios illuminantes in virtutis via ſuis ſermonibus; & ſunt veluti præcurſores Dei ad conferendam illis, a quibus audiuntur, ſanctitatem. Sed quo majus hoc munus eſt, eo majori cura obeundum eſt, atque adnitendum, ut illud Apoſtoli præceptum adimpleantur. *Miniſterium tuum imple*, 2. ad Tim. 4. Heu! quo potiori jure concionatori, quam olim D. Paulo, metuendum eſt, ne poſtquam alios ſalvos fecerit, ipſe reprobus efficiatur. A ſe ipſo igitur initium ducat oportet, atque ſe ipſum ſanctificet, antequam alios ſanctificare aggrediatur. *Id.*

Prava intentio, qua plurimi ad Dei verbum audiendum accedunt.

Vide qua mente plerique ad evangelium audiendum accedant: alii ex ſimplici curioſitate, quæ ſatis criminoſa eſt, quia concionis fructum aufert; alii ob ſolatium tanquam ad locum, ubi alios, cum quibus verſetur, inveniat. Diceres concionem factam eſſe quandam veluti comœdiam, ac templum in theatri locum migraſſe. Alii, ut obvia conſiderent objecta, & in cordibus ſuis impudicas concipiant cogitationes: alii denique, ut concionatoris verbis adverſentur, ſuum oſtentent ingenium, & aliquam illum corrigendi occaſionem inquirant; ſed quotuſquiſque, ut verbum hoc audiat hac mente illius exercendi, ac eodem ad ſalutem utendi tamquam vulgatiſſimo ſubſidio, quo nobis ad prædeſtinationem noſtram ſuppeditet Deus? *Idem.*

Sermonem audiviſſe non ſufficit; illum animo taciti recogitare debemus. Quid autem Chriſtianus? Id agit, quod S. Jacobus ait de evangelii auditoribus; illos comparat homini, qui pertranſiens faciem ſuam videt in ſpeculo, & qui oblitus macularum, quas illic deprendit, illas abſtergere non laborat: *Comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo.* Jacob. 1. Heu! plures videntur peccatores, qui ad concionem audiendam confluunt, & qui eo temporis momento concionatoris verbo moventur; ſed ſtatim ac inde egreſſi ſunt, non recordantur amplius; iiſdem ſe ſe illaqueant ſocietatibus; obliviſcuntur affectuum, quos Dei verbum in cordibus ſuis excivit, ac fiunt tamquam ſterilis, ingrataque tellus, quoniam minime cooperati ſunt rori cœleſti, ut inde animæ ſuæ uberem fructum perciperent. *Idem.*

Dei filius Apoſtolos, & concionatores ſibi ſubſtituit, qui verbum ipſius annunciarent.

Divinum verbum, quod verbum eſt ſubſiſtens, ideo videtur in Incarnatione ſua vocis organum accepiſſe, ut ipſe nobis ſuum annuntiaret evangelium, ſuam prædicaret morum diſciplinam, ſuam nobis inſtituta perſuaderet, ac ſenſim æternas veritates nobis imprimeret. Neque ſatis eidem fuit hoc obire munus, dum viveret; ſed ut illud etiam poſt mortem exerceret, ac illud in eccleſia perennaret, in locum ſuum Apoſtolos, & concionatores ſuffecit, eiſque ſuam tradidit miſſionem, ſuamque contulit auctoritatem, atque verbum ſuum in labiis eorum collocans artem invenit illud in omnibus terrarum plagis, totoque ſæculorum omnium decurſu late effundendi: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hoc maxime neceſſarium eſt eccleſiæ miniſterium; hoc unicum eſt, quod in ſæculi corruptione nobis ſuperſit remedium, & ſi nobis divinum hoc defuiſſet ſubſidium, nihil eſſet, quod in morum corruptione animarum interitum prohiberet. *De la Volpilliere Sermone hujus argumenti.*

Explicatio eorum evangelii verborū, ubi dicitur ſemen inter lapides cecidiſſe.

Dei filius evangelii parabolam explicare pergens, addit partem ſeminis inter lapides cecidiſſe, & ſtatim ac germinavit, exaruiſſe, eo quod illi humor defecit. Quod illos indigitat, qui Dei verbum hilariter excipiunt, ſed qui radicem non habent; qui ad breve tempus credunt, ſed ſtatim ac advenit tentatio, deficiunt. Hoc vulgo accidit. Dei verbum laudamus, illius præſtantiam admiramur, eodem etiam afficimur; ſed, cum illud adimplendum eſt, quoniam radicem non habet in cordibus noſtris, ea omnia egregie dicta, quæ noſtram ſibi admirationem conciliaverant, quam primum evaneſcunt, & ſimiles evadimus imprudenti illi viro, de quo loquitur S. Jacobus Apoſtolus, qui remoratur faciem ſuam, quam in ſpeculo videt, conſideraturus, & qui poſtquam illuc conjecit oculos, abit ſtatim, quis erat, oblitus. Audimus divitum ſævitiam exprobrari, illam ferendam non eſſe fatemur, & contemptum, quo ab illis pauperes excipiuntur, ultionem expoſcere: opes tamquam virtutum ſcopulos reſpicimus; ſed ſanctum illud verbum, quod has parit conſiderationes, radiceſne figit in corde? Facile patet judicium ex iis, quæ deinceps eveniunt. *Specimen ſermonum pro Sexageſimæ Dominica.*

Intentio, qua Dei verbum audiendū eſt.

Prima, quæ in chriſtiano auditore diſpoſitio requiritur, eſt pura, ſanctaque intentio. Intentio auditorum, S. Ambroſius inquit, eadem eſſe debet ac Jeſu Chriſti, ubi loquitur per os concionatorum. At Jeſus Chriſtus nil aliud ſpectat, quam patris ſui gloriam, hominumque ſalutem: hæc unica ratio evangelicos agit concionatores, & hæc quoque una chriſtianos auditores in templum compellere debet. Accedo ad Dei verbum audiendum, ut diſcam in illum credere, illi ſervire, eique ſerviendo ſalutem meam operari. Hei! quam raro chriſtiana invenitur intentio in frequentibus hiſce populi cœtibus, quos favor cogit, quos præventio, & ambitus attrahunt, & ubi ſalutis zelus minimam habet particulam. Curioſitas, complacendi ſtudium, otium, nonne eæ plerumque ſunt rationes, quæ fidelium pleroſque ad concionem audiendam adducunt? *Idem.*

Bonus, maluſque Divini verbi uſus.

Evangelicarum veritatum cognitio, quæ a Deo proficiſcitur, inæſtimabile donum eſt: ſed quam terribile eſt periculum, cui ſe ſe objicit, ſi quis eadem nequaquam bene uſus fuerit! Etenim quemadmodum auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod vere corpus, ſanguinemque Jeſu Chriſti complectitur, nobis eſt maximum inter omnia Dei dona, & nihilominus ſi illud indigne receperimus; execrabile ſacrilegium patramus: ita Dei verbum, qui penis eſt filiorum Dei, non ſecus ac pretioſum Jeſu Chriſti corpus, eſt animæ pabulum, ſi uti opus eſt, cordis aure, atque conſilio inde ad ſalutem proficiendi audiatur; ſed judicium eſt, atque damnatio eorum, qui illud indigne, hoc eſt cum contemptu recipiunt; qui illud negligunt, neque ſibi in alimoniam convertunt. Hæc divini verbi cum ſacro Jeſu Chriſti corpore comparatio eſt S. Auguſtini. *Ex morali chriſtiana in Pater.*

Negligentia, qua ad verbi audiendum convenitur.

Nunquam plures fuere concionatores; & nunquam boni chriſtiani auditores fuere pauciores. Quomodo generatim fideles divini verbi prædicationem faſtidiunt! Hoc noſtis: ac ſi Dei gloria vobis cordi eſt, etiam doletis. Mortalibus conſuetudo eſt ter, ad ſummum quater concionibus, idque ad oculos tantum populi fallendos, intereſſe. Omnes illi, qui magnis detinentur occupationibus, atque ſæcularibus vacant negotiis, tempus hoc invenire non poſſunt. Nonne verum eſt millibus chriſtianam religionem profitentibus vix inveniri duos, qui Dei verbum, uti par eſt, velint audire? Quantumvis in frequentiſſima auditorum corona loquamur, hæc tamen infrequens eſt, ſi cum innumera eorum conferatur multitudine, qui ad ſpectacula confluunt. O fidei noſtræ probrum! Chriſtiani non ſumus, niſi credimus æternam ſapientiam attollere vocem ſuam in templis, atque per organum concionatorum loqui, & nobiſcum de maxime neceſſariis noſtræ ſalutis negotii agere velle; & nihilominus ne minimum quidem negotiorum relinquere, neque breve ſolatiorum tempus deteri cupimus, ut illam audiamus. *Ib.*

Inordinatum placendi, micandique deſiderium efficit nonnunquam, ut id contemnamus, quod ad animas movendas, & convertendas eſſet utilis; ſed heu! Cui bono tantum doctrinæ, ſi homine ſalutis ſuæ viam minime doceantur? Cui hæc eloquentia, niſi animæ ad Deum revocentur? Cui omnes iſti meditati, tornatique ſermones, qui deroſos ſapiunt ungues, ſi aures dumtaxat alliciant, cum interim cordibus dominetur iniquitas? Cui tota hæc verborum pompa, ſi nihilominus, vitio noſtro, Jeſus Chriſtus amittit animas, quas redemit. *Molinier, ſermone primo Quadrageſimæ.*

S. Jacobi Apoſtoli ſententia de illis, qui Dei vocem audiunt, quin illam adimpleant.

S. Jacobi Apoſtoli ſententia eſt a S. Thoma explicata, eum, qui Dei verbum audit, quin illud adimpleat, ſimilem eſſe viro faciem ſuam in ſpeculo conſideranti, ac poſtmodum abeunti, quin, qualem ſe viderit, reminiſcatur. Hæc mira eſſet illuſio, S. Thomas inquit, ſi illic crederet reale objectum intueri loco imaginis ſuæ, cum ſe ipſum in ſpeculo conſideraret; vel ſi contentus in lucenti vitro faciei ſuæ maculas conſideraſſe, eaſdem detergere contemneret. Noſtra vero adhuc minus eſt ferenda: tandem enim niſi Dei verbum ſervamus in cordibus noſtris, & ubi adſit occaſio, eodem utamur; ſi recedimus poſtquam aliquot ſuperficiales de animæ noſtræ ſtatu conſiderationes fecerimus perfunctorii luminis beneficio; ſi in praxin redigere negligimus id, quod docti ſumus, nonne ipſi noſmet primi ſeducimus? Nonne intelligimus nobis ſolam eſſe verborum noſtrorum umbram, non autem operis corpus? & ſimiles fontibus objectorum imaginem recipientibus, quæ ſtatim obliteratur, illico ideam ſtatus noſtri deponere? *Morales ſermones, ſermone pro Sexageſimæ Domin.*

Ex eo momento, quo ſpiritus ſolus agit, & cor iners quieſcit, frigide tantum Dei verbum auditur, quin guſtetur; ſatis eſſe putamus, illud reſpicere tamquam verbum veritatis, & vitæ, quin moveri ſentiamus, ut certo, & obfirmato animo illi tamquam neceſſario, utilique bono hæreamus. Dic avaro, exempli gratia, ipſum eſſe pauperum œconomum; viam, & pupillum curæ illius traditos eſſe; illum ſalutis ſuæ conſulere non poſſe, niſi egeſtate laborantes in partem vocet bonorum, quæ providentia large, effuſeque illi donavit; immodicam hanc cupiditatem, qua bona ſua congregat, idolatriæ ſpeciem eſſe, ac ac validum æternæ ipſius felicitati impedimentum; veritatem hanc audit, eamque fortaſſe intelligit, & probat: ſed cognitio iſta in illius remanet intellectu, ſatis valida, ut illi chriſtianæ miſericordiæ neceſſitatem oſtendat; ſed ſatis infirma, ut illum ad eam amplectendam, atque exercendam impellat; adeo cor ejus mancipatum eſt avaritiæ, quæ illi eſt oppoſita. Hoc ipſum de ambitioſo, & libidinoſo dici poteſt: ambitio, & voluptas prohibent, ſeſe dedant verbo Dei, quantumvis perſuaſum illis ſit de veritate, quæ prædicatur. *Idem.*

Corde verbū Dei recipiendum eſt.

Loquimini ad cor Jeruſalem, Iſaiæ 40. Si aures tantum affertis, & corda veſtra relinquitis domi, negotiis, aut ſolatii veſtris abdita, irrito labore loquemur. Si agricola ſemen ſuum in aquis, vel aere, aut inter lapides ſereret, illud nunquam radices jaceret. Opus eſt, ut terra bene exculta Dei verbum recipiat, ut ſemen germinare, ac ſe multiplicare valeat: ſi enim in aures tantum ceciderit, ſterilis erit, omnique fructu carebit. Cor ager eſt, ubi divinum hoc ſemen jaciendum eſt, & cor iſtud bene præparatum eſſe debet, ut illud recipiat; illud vero deinceps ſedulo ſervare debet regii Prophetæ exemplum ſecutus: *In corde meo abſcondi eloquentia tua.* Pſal. 118. & quomodo Evangeliſta ait Sancta Virgine; quæ diligenter ſerva-

ſervabat ea, quæ de filio ſuo dici audiebat: videlicet ea meditabatur, in mentem ſuam revocabat, ac ſerio ſecum reputabat. *Molinier primo ſermone quadrageſimæ.*

De illis qui ad concionem audiendã accedunt, ut concionatoré corripiant.

Illis, qui ad Dei verbum audiendum concurrunt, ut vel concionem, vel concionatorem cenſoria nota perſtringant, indici poſſet, quod olim Joſeph Patriarcha ſuis fratribus dixit, qui, cum ſæva ſterilitas paſſim graſſaretur, in Ægyptum fruges acceſſerant coempturi: *Exploratores vos eſtis, ut videatis infirmiora terræ*. Cum ad conciones audiendas venitis, non ideo venitis, ut divini verbi panem colligatis, neque ut de muneribus veſtris erudiamini, neque ut illa ad memoriam revocetis, neque ut illuminemini iis in difficultatibus, quæ in myſteriis, vel veritatibus religionis vobis ſuboriri poſſent; ſed ut improbam exerceatis cenſuram, ut, ubi deficimus, intelligatis, ut noſtram imbecillitatem deprehendatis: *Exploratores vos eſtis*, *Sermo man.*

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Joan. 8. eaque in optimum uſum convertit, Dei filius ait; quæ res S. Bernardum conſolabatur, efficiebatque, ut diſcipulos ſuos tamquam totidem prædeſtinatos reſpiceret: *In vobis, fratres, vere invenio aures audiendi, cum in emendatione veſtra appareat fructus verbi*. Grandis profecto conſolatio ſancto inſtitutori; quæ tamen efficit, ut pro vobis admodum extimeſcam: quis enim ſibi hoc perhibere poſſet teſtimonium, quo intra decem, aut viginti annos ex uno tantum ſermone aliquem fructum perceperit? Verbum, Domine, propitios in auditores meos oculos converte; nemo fortaſſe eorum, qui me audiunt, reus non eſt graviſſimæ hujus negligentiæ; verum ne ideo ceſſes ad eos loqui, & illos urgere &c. *Idem.*

Concionator ea, quæ dicit, exemplo, ac vitæ ſanctitate probare debet.

Ut efficax Dei verbum fiat, eidem comes accedat, opus eſt, ſanctitas illud annunciantis, vel ut melius dicam, hæc illud animet, opus eſt; quod mea quidem ſententia innuere vult Apoſtolus, cum ait 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*. Ut ergo Dei verbum ſit efficax, illud, ut ita dicam, ex ore Dei deſumendum eſt: *Audies*, ait ille Ezech. 3. *de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*. Quomodo autem ex hoc fonte haurire poſſis, ſi inde procul abſis per peccatum? Et licet etiam hoc fieri poſſet, nonne ſe ipſum terribili tumentem præſumptione probat, qui ſermonibus ſuis perſuadere vult ea eſſe facienda, de quibus tibi nequaquam perſuaſum eſſe flagitioſo vitæ genere oſtendis? Tandem enim hoc non inauditæ ſolum præſumptionis ſignum eſt, ſed etiam graviſſimæ dementiæ argumentum, indeſinenter adlaborare, quin ullum ſperandi locum habeas te felicem laborum tuorum exitum conſecuturum; cum liqueat, uti S. Proſper l. 1. de vita contempl. c. 15. ait, ac ipſa probet experientia, nulla re magis minui, vel everti auctoritatem, quæ ad erudiendum eſt neceſſaria, quam diſcrimine illo, quod inter docentis mores, & præcepta deprehenditur. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Homines, qui quadam cum religione ſe vivere profitentur, tres in claſſes dividi poſſunt. Alii, Domine, audiunt verbum tuum, quaſi non audirent illud. Hoc neque mentem, neque cor illorum afficit; cumque illud ſine attentione audiant, dæmon hoc illis aufert; neque majorem habet effectum, quam ſemen, quod cecidit ſecus viam, atque in excultum agrum ingreſſum non eſt: Hoc illis accidit, qui externam dumtaxat pietatis ſpeciem habent... Alii tuum quidam & cum alacritate verbum recipiunt; ſed cum virtus eorum ſuperficialis tantummodo ſit, neque radices poſuerit, nihil producit; minimæ quælibet ærumnæ, & leviſſimæ, quæ illis accidunt, tentationes illud diſſipant, ac prorſus inutile efficiunt, quaſi inter lapides, & ſaxa decideret. Alii illud tamquam inter ſpinas recipiunt: videlicet nullum inde fructum, & utilitatem percipiunt, quia terrenarum rerum cura, divitiarum, & voluptatum amor, ac bonorum omnium, omniumque terræ vanitatum conquiſitio efficiunt, ut verba tua fructu careant, ea privant benedictione, quam inde recipere poſſent. Illi ſuperſunt, Domine, quorum pietas ſincera eſt, eoſque his verbis deſignas: *In terram bonam*, Matth. 13. Hi illi ſunt, qui verbum tuum reſpiciunt tamquam ros divinum, in quo ſuum inveniunt ſolatium, vim, vitam, lumen, atque conſolationem: & quamvis hoc non in omnibus parem habeat fœcunditatem, in illis tamen cum ubertate, & benedictione fructus producit; & licet virtus hæc ſit inæqualis, nihilominus animabus illam recipientibus vitam tribuit, tuetur, atque confirmat. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus in S. Matthæi evangelium.*

Modicus effectus, quem

Ignium æternorum, quos divina juſtitia in inferno ſuccendit, minæ, cogitatio magnæ judicii diei, teterrimorum ſuppliciorum æternitas, hæc omnia fere in ludibrium vertuntur ab infinitis propemodum temerariis adoleſcentibus, cum ſibi a verbi divini miniſtris annunciantur; eiſque hodierna die accidit, quod olim ſancto Loth, qui admonitus ab Angelo Sodomorum civitatem igne de cælo demiſſo conflagraturam, per trivia, & compita clamabat, omneſque precabatur, ut divinam flecterent juſtitiam, vel ſaltem illam evitaret egrediens de loco, quem Dominus oderat. Non enim defuerunt imperterriti mortales, qui ſanctum virum contempſerunt, ejuſque minas ſibi in ludibrium vertentur: *Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui*. Geneſ. 19. Tranquille in urbe permanſerunt. atque ſolatiis ſuis indulgere perrexerunt; ſed non multo poſt flammis abſorpti ſunt. Ita concionator admonet auditores de terribilibus juſtitiæ Dei ultoris effectibus; eiſque devorantes inferni flammas minitatur. Flagitioſi homines haſce terribiles veritates contemnunt. eaſque inania putant terriculamenta, pia commenta, & ſpectra devotionis, quæ nonniſi ad rudes homines in officio continendos inſerviunt: *& viſus eſt eis, quaſi ludens loqui*. Sed donec hæc fatalis fortitudo omnem illis aufert ſenſum malorum ipſis impendentium, violenta mors, caſus inopinatus illos in infernum æternum præcipites agit. *Specimen ſermonum pro quarta poſt Adventum Dominica.*

Dei verbum in aliquorum flagitioſorum hominũ cordibus habet.

Nunquid autem nefas eſt concionatori, quidquid habet eloquentiæ, depromere, ut ſuum extollat argumentum, atque chriſtianas veritates pertractet? Mirum ſane eſſet, S. Auguſt. ait, mendacio theoricis abutente ſchematibus contra ipſam veritatem iiſdem uti non poſſe ad mendacii vim propulſandam? Opuſne eſt, eos, qui falſa perſuadere cupiunt, auditorum ſuorum attentionem ſibi comparandi artem noſſe, eamdem vero præcones veritatis ignorare? illos didiciſſe, quo pacto induſtriæ errores ſuos commendent, eiſque fucatam veritatis allinant ſpeciem, hos vero de maxime neceſſariis ad ſalutem actionibus jejuna, rudi, & incompta ratione ſermonem habere? Illos terrorem, formidinemque incutere in animos, quos callide fallaci arte ſibi conciliare dicerunt; hos vero ad id redactos eſſe, ut veritatem eo frigore tueantur, quod audientibus ſoporem, nauſeamque valeat afferre? Cum diſerte loquendi facultas impendi ex æquo valeat cum in bonos, tum in malos uſus, cum ad ea, quæ vera ſunt, tum ad ea, quæ falſa, perſuadenda: cur evangelici miniſtri illam addiſcere toto pectore non adnitantur, eadem ad veritatem propugnandam uſuri; quandoquidem improbi tantum inde virium mutuantur ad obtinenda ea, quæ injuſtæ ipſorum expetunt cupiditates? *Ex dictionario morali in conſiderationibus de verbo Dei.*

Dignitas verbi Dei, & quanti a nobis faciendũ ſit.

Hoc Dei verbum eſt; o ſummum præſtantiæ, & dignitatis characterem! Si enim majeſtatis characterem in regum, acuminis in politicorum, auctoritatis in legislatorum; eruditionis in doctorum, bonitatis in patrum, æquitatis in judicum, ſinceritatis, & benevolentiæ in amicorum verbis deprehendimus; varii id genus characteres, quibus illa nobis adeo chara, ac venerabilia fiunt, evaneſcunt, atque diſſipantur, ubi cum verbo tuo, Domine, conferuntur, coram quo politicorum acumen error eſt, auctoritas legislatorum infirmitas, litteratorum eruditio ignorantia, parentum bonitas cæcus amor, ſinceritas amicorum venalitas, æquitas judicum tenuis tuæ participatio, regum majeſtas exiguus nitor e magnitudinis tuæ infinitæ ſinu dilapſus. Fideles populi, qui aliquam Deo reverentiam vobis eſſe profitemini, venite ergo ad illius verbum audiendum; increata, & incarnata Sapientia eſſentiales ſalutis veſtræ veritates revelat: illas pia docilitate, bibuliſque auribus audite. *Idem ſermone primo hujus argumenti.*

Qua conſolatione afficiatur concionator videns Divini verbi fructum ſuo miniſterio receptum.

Cum aliquando S. Auguſt. ad Hipponenſem populum haberet concionem, forte in ipſo ſermonis decurſu ingentibus auditorum gemitibus, ſuſpiriis, iteratiſque clamoribus interruptus, cur ita ploratis, & gemitis, ait illis? Quidnam vobis dixi, quod vos adeo vehementer commovit? Divinæ miſericordiæ immortales habeantur gratiæ, ſi ad corda veſtra penetrarunt ea, quæ dixi auribus veſtris. O quam beatum me exiſtimarem, addidit ille, ſi Deus adeo imbecilli uſus fuiſſet miniſtro, qualis ego ſum, ut miniſterium ſuum honoraret, ſuumque ſanctificaret evangelium! Hoc unum vobis, dilectiſſimi Auditores, dicere poſſum, gaudium meum perfectum futurum, nihilque majorem mihi illaturum conſolationem, quam ſi videro, vos ſollicitos ad virtutes, quæ vobis deſunt, comparandas animum appellere, eumque amovere a viis pravis, quæ vos in malorum omnium abyſſum impuliſſent.

Et ſane quænam concionatori conſolatio eſt, & quænam in anteceſſum felicitas auditoribus ſumma fide obſervantibus, quod illis per organum illius Deus inſpiravit? Dociles veritatibus, quas didicerunt, eaſque in optimum uſum convertere cupientes, non ſunt amplius iracundi, avari, voluptuoſi, ultores. O Dei verbum! hoc in noſtris animabus efficis, cum divina præveniente, & adjuvante gratia tibi noſtras mentes, & corda aperimus. Tu nos erudis, nos corripis, nos moves: ſed ipſi non ſanctificamur, niſi cum ex luminibus tuis fructum percipientes ſerio ſalutis noſtræ negotio vacamus. *Idem.*

Attentio, cum qua Dei verbum audiendum eſt.

Pudore ſuffundor, ubi lego, ſapientem Ethnicum neſcio quem pati non potuiſſe; ut aliquis ad philoſophum, vel oratorem audiendum accederet mente diſſipata, eumque otioſis auditoribus exprobraſſe, illos ad tempus videlicet traducendum illuc accedere inſcios, quanam in re illud inſumerent. Diverſorium otii eſt! Proh Deus! quid autem non dixiſſet, ſi illi perſuaſum fuiſſet, prædicationem ex maxime ſeriis, & neceſſariis evangelici miniſterii actionibus eſſe, & vidiſſet, catervatim omnium generum homines ad concionem audiendam confluere, eique adeſſe eo modo, quo in theatris comediæ intereſſe conſuevit? Quid non dixiſſet, ſi illos vidiſſet unice pendere a geſtu, verborum ordine, caſtigatis locutionibus, diſertiſque figuris, necnon opportuno in moralem diſciplinam excurſu, qui minimum quidem immorentur ſtatui conſcientiæ ſuæ, quin ab iis diſtractionibus, in quas ultro dilapſi ſunt, unquam ſe colligant, atque iis effici videantur veritatibus, quas audiverunt? Alii alios ultro citroque ad hanc actionem invitant tanquam ad ſpectacula; congregantur in templis tanquam in publicis plateis, inquit S. Chryſoſtomus. *Idem.*

Concionatores, quin eos ſalvos faciãt, quibus prædicant, illorum damnationi occaſio ſunt.

Quemadmodum littera occidit eos, quos ſpiritus non vivificat, jure inferri poteſt, cum adeo pauci Dei verbo vivificentur, concionatores, quin auditoribus ſuis aliquam vitæ ſcintillam communicent, eos magis, magiſque ad mortem impellere. Aſſueſcunt audire ſine ſenſu, & oſcitanter veritates maxime terribiles, & inde quodammodo impares fiunt, qui moveantur. Ita concionatores non ſolum non ſunt divinarum miſericordiarum inſtrumenta, ſed nil aliud ferme ſunt, quam divinæ juſtitiæ miniſtri. Hoc tamen non accidit concionatorum vitio, ſi ſumma officii fide muneri ſuo perfugantur; ſi nihil intentatum relinquant, ut cordium duritiem infringant, miniſterium ipſorum ſemper glorioſum eſt, & evangelicum: neque imputabit illis Deus mortem tot rebellium animarum, eoſque remunerabitur propter exiguum obedientium animarum numerum, quæ ex eorum dictis profecerint. Verum enim vero ſi miniſtri culpa miniſterium vi, ac virtute deſtituatur, ſi ille vitæ ſuæ flagitiis verbi effectum prohibuerit, niſi verba ſua illa obleverit unctione, quæ ex cordis ſui diſpoſitione emanare deberet, niſi precibus ſuis Dei benedictionem attraxerit ſuper veritates, quas annuntiat, ſi humanas immiſcuerit affectiones, ſi verba non cordis ſui effuſiones, ſed productiones mentis extiterint; dici poteſt ille ſe eo dimittere magis, quo majus eſt miniſterium ſuum, ſe ſe dedecorare magis, quo dignius honore munus ipſius eſt; ac ſe nocentem præbere magis, quo ſanctius, atque ſanctificantius eſt ejus officium. Si enim evangelicum miniſterium eſt adeo efficax, quodnam ſcelus eſt hanc prohibere efficaciam, & divinum ignem cordibus inflammandis deſtinatum extinguere? Si vitæ miniſterium eſt, quid eſt illud in mortis miniſterium convertere? Si animabus expiandis deſtinatum eſt, quid eſt illi virus immiſcere ad eas corrumpendas? Si illius finis eſt animas ad veritatem, atque charitatem traducere, quid eſt eodem abuti ad vanitatis, affectuum, & ſæpe etiam errorum noſtrorum ideam illis imprimendam? *Eſſais de morale tomo quinto.*

Dei verbũ auditum opere adimplendum eſt.

Quid eſt faciendarum rerum cognitio ab actionibus ſeparata, niſi eorum, a quibus non fiunt, condemnatio? Quæ vero eſſe poteſt utilitas veritatis, quæ nos damnat?.. Quamobrem S. Jacobus Apoſtolus nos admonendos eſſe arbitratus eſt, ut factores ſimus verbi Dei, & non auditores tantum: quælibet virtus cognita, & non exercita auditores tantum nos facit; illam nos poſſidere putamus quia aliquo ejuſdem amore tenemur; ſed illam re ipſa nequaquam diligimus. Hæ virtutum, quas nunquam exercuimus, illecebræ nihil aliud ſunt, quam ſuperficiales impreſſiones, quæ, cum in actum redigendæ ſunt, evaneſcunt.... Hic idem Apoſtolus magis ad vivum nobis probaturus, quam inutile ſit Dei verbum audire, niſi adimpleatur, utitur ſimilitudine, quam enucleare operæ pretium eſt. Ait, illum, qui ſatis eſſe putat Dei verbum audire, quin exerceat illud, ſimilem eſſe viro ad breve temporis momentum faciem ſuam in ſpeculo conſideranti, qui inde ſtatim recedens obliviſcitur imaginis, quam illic deprehenderat. Dei verbum ſpeculum eſt: hoc unum poteſt noſmet ipſos nobis repræſentare quales ſumus: nos de vitiis noſtris admonet, eorumque cognoſcendorum locum præbet: verum ut cognitu hæc ſit diuturna, & non deleatur, ad praxim eſt redigenda, atque eadem cor affici debet; alioquin dilabitur, diſſipatur, neque melius cognoſcitur, quam ſi nunquam illi animum advertiſſemus.... Non deſunt, qui in hoc ſpeculo alienos dumtaxat conſiderent nævos, quin videant ſuos. Hic Scripturæ locus, ajunt illi, optime iſtis quadrat, & illis. Concionator ibi non videt, niſi quomodo in ſermonibus ſuis uti poſſit. Vir doctus modum inveniet ſolertis, acutique hominis nomen ſibi comparandi. Ita veritates has ad eos transferentes uſus, qui ſunt extra nos, nunquam illas nobiſmet ipſis applicare conſueſcimus. *Ibidem.*

Deus divinum hoc verbum aufert illis, qui negligunt illud exercere.

Dei verbum neglexiſtis, Deus a vobis verbum hoc aufert, hoc ille populo ſuo per Prophetam minitatus eſt. Populi mei flocci faciunt, quod illis dico, oracula mea in ludibrium vertunt, ex monitis meis fructum nullum percipiunt, neque proficiunt ex veritatibus, quæ ipſis juſſu, & nomine meo nunciantur: non audient amplius vocem meam: *Mandabo nubibus meis, ne pluant.* Iſai. 5. Nubes meas claudam, præconibus meis ſilentium indicam, ac prohibebo, ne ſuper illos gratiarum mearum rores effundant: *Mandabo nubibus meis, ne pluant.* Irritatus Deus nihil hoc gravius ſuo poterat minitari; quid enim expectari poteſt ab agro ſicco, & arenti, in quem neque ros decidit, neque imber, niſi quod Solis ardoribus exuſtus nihil unquam ferat, atque in ſua ſterilitate permaneat? Hoc certiſſime accidit animæ, cui Dei verbum auferatur. Cum non loquentur amplius concionatores, neque amplius audientur, tellus erit in omni bonorum operum genere ſterilis &c. Poſſet ne Deus ſeveriores ob verbum ſuum neglectum pœnas repoſcere? *Serm. manuſc.*

De modico fructu, qui ex Dei verbo percipitur.

Divini verbi ſemen nunquam copioſius effuſus fuit nunquam vel plures, vel eloquentiores fuere præcones, qui verbum hoc de ſuggeſtu annunciarent. Hoc in omnibus reſonat templis, neque deſunt unquam auditores, qui ad illud audiendum concurrant; & ſæpe catervatim confluunt, cum nominis celebritate miniſter evangelicus floret. Sed quonam cum fructu? Heu! Nunquid mortales ideo minus ſuperbi ſunt, avari, voluptuoſi? Nunquid minor luxus, pauciores libidines, odia, ſimultates, diſſenſiones in civitatibus inter chriſtianum populum ſunt infrequentiores? Nunquid minus vitioſi, magiſve in pietatem proni ſunt homines? Nunquid minus aleis, profaniſque ſolatiis indulgent? Divinum quidem hoc ſemen nunquam uberius fuit, verum nunquam ſterilius fuiſſe jure poteſt affirmari. *Serm. manuſc.*

Cum concionatoris eloquentia non aliud ſit, quam medium, quo Dei verbum facilius perſuadeatur, & quoddam veluti remedium contra humanæ mentis infirmitatem, quæ veritatem guſtare nequit, niſi eo ſapore conditam, qui guſtum ejus efficiat, excitet attentionem, & parumper curioſitatem cieat: auditor illi numquam acquieſcere debet, neque Dei verbum, tamquam verbum hominis conſiderare, ſed tanquam verbum Dei, quod in naturali etiam ſimplicitate ſua majorem vim habet, majeſtatem, jucunditatem, & pulchritudinem, quam magnifica quælibet, florenſque eloquentia. *Abbas de Sancto Mart. in Quadr.*

Nunc modicus ex verbo Dei fructus percipitur.

Dei verbum olim potentius non erat, quam hodie, quoniam eodem ſemper ſpiritu eſt animatum: immo neque adeo commune, & vulgatum erat propter perſecutiones: attamen quamvis hoc verbum non eſſet potentius, quamvis concionatorum numerus magis eſſet exiguus, & ad ſupplicia conquiſitus, illi tamen tanto cum fructu prædicarunt, ut gentes omnes converterint: hodie vero videtis homines, quotidie hoc ipſum verbum audientes, qui illud plures integras audivere Quadrageſimas, & qui nihilominus ne ex una quidem concione fructum retulere. Hi concionatorum omnium vobis deſcribent imagines, ac ſingulorum characterem indigitabunt; immo etiam locorum magis nitentium reminiſcentur; ſed paucos invenietis, qui ea, quæ audiverint, ad vitæ ſuæ conformationem tranſtulerint. Verbum hoc in eorum mente, ac memoria ſubſtitit, ſed ad cor ipſum nequaquam deſcendit...... Cui bono toties ſanctum audire verbum, ut coram Deo ſimus nocentiores? Etenim ex S. Petri Apoſtoli ſententia præſtaret, numquam hoc lumine illuſtratos fuiſſe, quam juſtitiam, legemque Dei cognoſcere, & eam non ſervare. Verbum, quod ſanctus hic Apoſtolus numquam protuliſſet, S. Auguſtinus inquit, niſi a JESU CHRISTO didiciſſet, cognitionem divinæ legis, ubi illam infringimes, peccatum

noſtrum augere, ac non infidelibus ipſis efficere deteriores. *Idem.*

Sunt, qui non Dei verbum, ſed concionatoris eloquentiam inquirunt, qui non pietatis, ſed curioſitatis ſpiritu ad concionem audiendam concurrunt, ut detectos audiant terminos, nova acumina, elaboratum ſermonem, qui auribus, ac menti placeat, non autem verba, quæ cor moveant, quæ corrigant affectus, ac ad vitæ rationem immutandam impellant. S. Paulus ævi ſui fideles laudabat, eo quod receperant verbum quod illis prædicaverat non tanquam verbum hominum, ſed Dei; quid porro dixiſſet, ſi vidiſſet Dei verbum audiri, non tanquam Dei, ſed tanquam hominis verbum? Næ ille quidem ſæculi ſui calamitatem deploraſſet, ſicut nos noſtri; re enim vera hic inter maximos, & pernicioſiſſimos recenſendus eſt abuſus, qui hodierna die in eccleſia inoleverint; hoc enim eſt irritam facere validiſſimam rationem fovendæ pietatis, atque peccatorum ad officium ſuum revocandorum.

Metuemus diſcere veritatē, quæ Dei verborū nunciatur.

Hominum plerique ſimiles ſunt Pilato ex Salvatore ſciſcitanti, quid eſt, veritas, & prope ſe eamdem habenti veritatem, neque eam intelligenti. Hoc illius malum fuit, hoc noſtrum quoque eſt. Veritatem, ob oculos habemus, neque videmus illam: catervatim ad Dei verbum audiendum confluimus, ſed ubi veritas nobis oſtenditur, quilibet caput demittit, illamque ad proxime adſtantem migrare ſinit. Eam reſpicimus tanquam fulgur, oculos claudentes, ac præ timore contremiſcentes. Cur illam non audimus? Quia nos minime palpat, quia defectus noſtros non diſſimulat, neque abſcondit, quia nos ſuis redarguitionibus pudore ſuffundit, minis terret, probris humiliat & nonniſi de pœnitentia verba facit. *P. Novet in meditationibus ſuis, introductione ad paſſionem.*

Concionator cum S. Hieronymo dicere poſſit, opus eſt; *Neminem ſpeciatim ſermo meus pulſavit, generaliter de vitiis diſputatum eſt.* Sermo meus neminem læſit, de vitio generatim dumtaxat ſermonem inſtitui; dicta nemini applicui, cuilibet ea ſibi applicandi locum reliqui. In id labor, & induſtria collocanda eſt, ut auditorem corrigas, & ædifices, non ut illum rubore ſuffundas. Concionatoris verba ad omnes ſpectare debent, non ſingulis vel præſentibus, vel abſentibus immorari; neminem deſignare debent, niſi ille communem inſtructionem, quæ ad omnes pertinere debet, in detractionis argumentum, & occaſionem velit convertere. *Auct. Anonymus.*

Quo pacto hominū plerique Dei verbū audiant.

Spiritus ſanctus nos admonet, quomodo homines Dei verbum audiant per hæc verba, quæ Prop. Ezech. dicit; *Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens a domino: veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus.* Ezech. 33. Catervatim in templum ingrediuntur, quaſi ingrederentur, ſed illud ſerio non ingrediuntur, locum capiunt in populi coronam, ſed o Propheta, ne putes illos ibi eſſe; ſi illos blandis vocibus detinere vis, ibi ſunt ſpiritu; ſin vis convertere, non adſunt corde. Hæc verba perpendite: *Veniunt, quaſi ingrediantur*: hoc in templum ingrediuntur, at in ſpeciem dumtaxat adſtant concioni; ibi ſunt corpore, vel ad ſummum etiam ſpiritu: Sed corde ſunt in negotiis ſuis, in rerum ſuarum impedimentis, in ſuarum cupiditatum objectis. Quamobrem Prophetæ eidem loquens Dominus ſequitur: *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos*: audiunt illi quidem ea, quæ nomine meo dicis illis, ſed non ideo aliquid agunt; & hæc ratio eſt, Spir. ſanct. concludit: *quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum*; quia veritates æternas ac religionis myſteria audiunt, quaſi canticum audirent; concioni adſtant, quaſi feriæ adſtarent comædiæ, vel profanæ alicui declamationi; & quemadmodum, poſtquam tragediam aliquam ſcenicam repræſentari conſpexerunt, atque laudaverunt, & etiam fortaſſe lacrymulas aliquot commentitiis Heroum, de quibus fabula narrabatur, calamitatibus tribuerunt, abeunt cogitantes acta, tranſactaque omnia, quia illic adſtitere ſolum, ut oblectarentur: ita, poſtquam concionatoris verba audiverunt, illinc abeunt, quin aliquid ultra ſibi faciendum eſſe arbitrentur. *P. Texier in Adventu de impio infelice.*

Veritates, quas concionator populo annunciare debet.

Audite in Ezech. Proph., quomodo Deus ad concionatorem loquatur. Niſi audacter dixeris impio, quod ex ore meo didiciſti; quid autem? Numquid divinitatis magnalia, atque altiſſima Theologiæ myſteria? Haud ita ſane; hæc a te docenda non ſunt, neque enim ex ore meo hæc didiciſti; ſed viam, quam populus ſequitur, viam eſſe, quæ illum ad æternam mortem adducit, & niſi illum urgere perrexeris, ut ſerio convertatur, pars tua erit infernus: *Si dicente me ad impium morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via ſua impia, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 3. Niſi hoc pacto prædicaveris, impius quidem morietur, & damnabitur. tu vero, concionator, muneri tuo functus non eris, Scias futurum, ut ego tibi ſuccenſeam, & ex te rationem exquiram ſanguinis ejus, & ſalutis animæ illius. *Idem.*

Concionatores jure contra ſæculi vitia invehuntur.

Cur hæc auditur de zelo concionatorum querela? Quomodo tacere poſſunt ea videntes ſcelera, quæ committuntur in mundo? O Deus! quid hoc eſt? Nonne omnia veteris religionis veſtigia fere deleta, & obliterata videmus; nonne corruptionem dumtaxat intuemur in familiis, intemperantiam in adoleſcentia, infidelitatem in mercatura, dolos, & ambages in foro, in popello vero libidinem, effrænemque licentiam? Impietas ipſa, atque morum licentia tanquam vis ſpiritus traducitur, perjuria, & blaſphemiæ tanquam ſermonis ornamenta; jugis aleæ furor honeſta occupatio; perſonata ſimonia, ac profanatio bonorum J. C. legitima poſſeſſio: verbo, nequiſſima flagitia virtutis pallio teguntur, & poſt hæc cum Propheta quæritur: *Quid clamas?* Ubique videmus Deum contemptum, & læſum a creaturis ſuis, Salvatoris ſanguinem conculcatum: videmus animas chriſtianas catervatim in perditionis viam feſtinare, ac ſe ſe in infernum præcipites dare; poſt hæc mirum eſſe debet, ſi clamamus, ſi invehitur? *Quid clamas?* Zelum habere poſſumus, & tacere? *Idem.*

Contra auditores, qui pati nequeūt evangelicas veritates prædicari.

Loquor de illis, quos Apoſt. ad Tim. 1. c. 4. prædixerat futurum, ut ſanam ferre non poſſent doctrinam, neque morum diſciplinam evangelicæ innixam ſeveritati: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.* De illis, qui volunt ſibi ſubtilia, & curioſa narrari, qui fabulas audire malunt eleganti ſermone exornatas, quam ipſas puras evangelicas veritates: *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Corruptionum horum auditorum intentio contraria eſt ideæ, quam de verbo Dei habemus, hæc Deo contumelioſa eſt, concionatori turpis, & auditori periculoſa.

Dei verbum ſervandum eſt, ac inde fructus percipiendus.

Divinum hoc verbum beatæ Virginis exemplo ſervandum eſt: *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*; quæ res in hoc poſita eſt ut intrinſecus illud mediteris, ac temet eodem nutrias, non per inanes, ſterileſque ſpeculationes, ſed per ſenſus, & affectiones cordis. Cum mens tantummodo veritati vacat, quamprimum fatigatur; ſtatim mutare velut objectum, & prima objecta facile ſubſequentibus obliterantur. Sed cum impreſſio, quam veritas fecit in corde, animam applicat illi, hæc haud ægre eidem inhæret. Impreſſio hæc non ſinit, illam inde divelli; hæc eamdem centies ſine tædio, ac nauſea ſecum reputat, ſemper enim lætitia afficitur id cogitans, quod amat: *Conferens in corde ſuo*... Male recepit verbum, qui huic aditum quidem præbet in aures, & mentem, ſed excludit a corde, ſive illud abſolute excludat, ſive illi abſolute neget imperium ſinens ſibi dominari dæmonis verbum; hoc eſt, objecta, quæ ille proponit. Æquum profecto eſt, cum Deus incomparabili hoc nos honore dignetur in nos verbo ſuo ingredi volens, nos efficere, ut regnet in nobis, & verbo hoc nobis ſit lex, regula, & lumen. Hoc autem non accidit, ubi cor dominanti aliquo affectu occupatur, ac alteri cuipiam inhærere objecto, quod præfert Deo. *Eſſais de morale tom.* 5.

Quomodo verbum Dei male recipiatur.

Divinum hoc verbum male recipitur, cum poſtquam illud recepimus in corde noſtro creſcere ſinimus turbam curarum, atque ſpinarum, quæ impedimento ſunt, ne illud creſcat, atque fructum adferat, ſed illud paulatim exſiccant, & ſuffocant. Potiſſimum vero male recipitur, cum eodem abutimur, & quadam mercaturæ ſpecie prorſus terribili, illud ad propriam gloriam, atque utilitatem referimus.... Homo nequaquam nutritur, cum nutrimentum in ſtomacho immoratur, ſed tunc cum omnibus corporis partibus unitur, commiſcetur.... Dei verbum animam non nutrit, niſi illius motibus, actionibuſque omnibus conjungitur, earumque regula, & lumen eſt, quemadmodum actionum Davidis erat. Illud cum manſuetudine recipiendum eſt, S. Jacobus cap. 1. inquit: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum*; hoc eſt, ſine oppoſitione, ſine renitentia, & cum perfecta docilitate. Tunc enim nos alit; ſpiritualem vitam fovet, nobiſque vires confert, quibus noſmet regere; ac tueri valeamus. *Ibidem.*

De concionatoribus qui pravo ſunt exemplo.

Id genus homines Phariſæis, veteriſque legis doctoribus ſimiles ſunt. Si religionis veritates in mentibus eorum vigent, atque ſubſunt, non vigent pro illis, ſed pro aliquibus electis, qui eorum opera erudiendi ſunt, & qui eſſe debent Fidei, non vitæ illorum imitatores. Similes ſunt æquis baptiſmi, quæ animas ab earum ſordibus eluunt, corporum corruptionem contrahentes; veritatem harum ſequeſtres ſunt pro aliena quidem ſalute; propria vero reprobatione. Homines ſunt, qui eam retinent ſententiam, qua æternis adjudicandi erunt ſuppliciis, & tantum abeſt, quod hæ veritates illi auxilium, opemque afferant, eorumque converſionem faciliorem efficiant, ut propter abuſum earum, qui ab illis fit, ejuſdem fiant impedimenta. Veritates, quæ alios maxime afficere poſſunt, in illis modicum virtutis habent & virium, & quodammodo æruginem induerunt: cor illorum per conſuetudinem ſenſum omnem amiſit, vel potius ipſi eas prædicantes ſuo ſe ore judicant, & damnant. *Idem.*

Concionatoris verbum mentem illuminare debe, & inflāmare cor.

Concionatoris verbum non intellectum dumtaxat illuſtrare debet, ſed divini etiam amoris ignem in cordibus accedere, ad illa expianda juxta ea Regii Pſaltis verba: *Eloquium Domini inflammavit eum.* Pſ. 104. Divinum hoc eloquium, idem addit Propheta, in corde peccatoris abſumit, quidquid ibi carnale, & corruptum eſt, ac illud divellit ab eo, quod illic terrenum eſt, ut unice adhæreat Deo: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud.* Pſ. 118. Qui Dei verbum annuntiat, Propheta Jeremias inquit, ſimul ac mentes erudit, ignem etiam in omnia corda effudit. Ideoque Spiritus ſanctus in Apoſtolus deſcendit ſub ignearum linguarum ſpecie, ut intelligerent, S. Bernardus ait, corda ab illis eſſe inflammanda. *Specimen ſermonum.*

Conſiderationis defectus cauſa eſt modici fructus, qui ex Dei verbo percipitur.

Hæc vera cauſa eſt modici fructus, quem divinum hoc refertum verbum. Gratia, quæ illud comitatur, ſemen eſt virtutis, & converſionis peccator illam recipit, ejuſque ſentit impreſſionem, verum eſt; ſed illi tempus non permittit radices jacendi, atque cordis poſſeſſionem adeundi. Ubi concio abſoluta eſt, jam vertatur officiis, jam ad profana colloquia reditur. Ubi ex exemplo pes fuerit elatus, jam ſe ſe quilibet ſocietatibus immiſcet, jam ultro citroque viſitationes recepit, ac reddit, ad conſueta ſolatia, vel negotia revertitur; affectus, ad concionis vi ſemiſopitus, fuerat, ad objecti ſui adſpectum expergiſcitur. Ita concio, & motus omnes? quos illa in anima pepererat, quin aliquem effectum adferant, evaneſcunt. Hæc potiſſima cauſa eſt; propter quam Dei verbum fit inutile. Si peccator divinum hoc ſemel recipiens ſe ſe non objeciſſet tot obſtaculi, & impedimentis, ſeſe collegiſſet, ſi a mundo ſeceſſiſſet, facile illecebras, motuſque illius ſecutus fuiſſet: ſerio vitæ ſuæ rationem ad examen vocaſſet; ac deplorabilem conſcientiæ ſuæ ſtatum excuſſiſſet; iniiſſet conſilia hominibus ſuis congrua; rationem excogitaſſet; qua eadem efficacia efficere poſſet, & hoc pacto gratias cordis illius dominationem obtinuiſſet, potuiſſetque ejus converſionem petere. *P. Gegou, libro de receſſu.*

Quem fructū Dei verbum ferre valeat.

Cum increatum verbum præcipua ſit cauſa eorum omnium, quæ in ordine naturæ facta ſunt, verbum prædicationis eſt cauſa inſtrumentalis eorum, quæ fiunt in ordine gratiæ. Quot pravæ conſuetudines per illud deletæ ſunt; Quot uſus pernicioſi ſublati? Quot populis illud fidem inſpiravit? Quot corda extulit ad æterna bona nauſea, ac ſincero contemptu eorum quæ fluxa ſunt, & peritura? Si hodierna die eaſdem non operatur converſiones, non igitur dicendum eſt, vires illi deeſſe, ſed immo potius, uti opus eſt, non audiri. *Ex morali dictionario in conſiderationibus de verbo Dei.*

Ille eligēdus eſt concionator, qui nos magis moveat.

Prædicationibus idem accidit, quod eſcis, quibus veſcimur. Cibus generalium bonus eſt, ſed hic uni erit utilis, qui alteri noxius; cumque Deus vobis guſtum conceſſerit, vobis etiam integram reliquit ciborum optionem: & ſimulac videtis aliquid alimenti genui in vobis neque colorem, neque ſuccum producere, ſtatim vobis ſalutare nequaquam eſſe intelligitis. Hoc ipſum de concionatoribus dicendum eſt; attendite, quinam vos magis moveat, atque hunc ex aliorum numero eligite..... Si ſecundum Deum judicium ferre velletis, eos tantum eligeretis, quos ſaluti veſtræ utiles cognoſceretis; tandem enim velle opus eſt res pro iis finibus, pro quibus inſtitutæ fuerunt. Sed verbum Dei factum eſt, ut vos ſanctificaret; inſignis ergo eſſet imprudentiæ illud propter alium aliquem finem eligere. Si medicum eligerem, quia diſertus, & eloquens eſt, me omnes exſibilarent: ille mihi eligendus eſt, quem ſcio præ reliquis melius meum noſſe temperamentum, & quem in arte conſultiſſimum cenſeo. Si igitur concionatorem invenio in me conſcientiæ ſtimulos excitantem, & de corde meo vitium auferentem, hic ille eſt, quem mihi Dominus miſit, hic meus eſt Ananias, licet alioquin nullas habeat veneres, nullam vocis, aut geſtus elegantiam, huic hærebo, neque illum dimittam. Alius tamen mihi magis placeret. Si huic movendi virtus eſt; eſto fac quod lubet, hunc elige; verum ſi alius majorem habet vim, ut te moveat, hic tibi eligendus; & qui ſecus fecerit, de ſanæ mentis uſu dejectus omnem ſalutis ſuæ curam abjeciſſe exiſtimandus eſt. *In ſermonibus, qui Patri Bourdalove attribuuntur.*

Divini verbi ſterilitas ex ipſo non oritur, ſed ex vitio illud audientium.

Quero, unde nam hæc oriri poſſit divini verbi ſterilitas? Nunquid ex ipſo Dei verbo? an ex concionatoribus illud prædicantibus? an denique ex illud audientibus? Omnino enim opus eſt, uni ex tribus hiſce cauſis hoc vitium referri. Dei ipſius verbum inſimulare eſſet injuſtitia; neque enim hodie minus potens eſt, quam fuerit olim tempore Apoſtolorum. Idem prædicamus evangelium, quo S. Petrus uno in ſermone tria auditorum millia convertit; & cum Spiritus ſanctus viſibili ſpecie dilapſus eſt ſuper eos, qui Dei verbum audiebant, quemadmodum narrat S. Lucas, illud profecto non aliud erat verbum ab eo, quod prædicamus. Quid igitur? Nunquid concionatores hujus mali ſunt cauſa? Scio equidem, S. Paulus ait, Dei veritatem in injuſtitia detineri poſſe: ſcio, ex S. Chryſoſtomi ſententia, in captivitate etiam poſſe teneri, cum e contra primis eccleſiæ ſæculis libera eſſet, cum ipſi concionatores in vincula detrudebantur. Scio, non deeſſe, qui pravo exemplo Dei verbum dedecorant: ſed tandem aliquando errorem hunc abjiciamus, Auditores: Divini verbi fructus concionatorum meritis, & ſanctitati non adhæret, hoc operatur per ſe, non ſecus ac legis gratiæ ſacramenta; immo eræ ſacramentis hac in re præſtat, quod ut illa, a miniſtrorum intentione non pende? Poſſunt quidem concionatores concionando ſe ipſos prævertere, ſed ſemet prævertentes non ideo minus alios, convertunt. *Id.*

Theologicum principium eſt, cum Deus fidelibus exteriora præbet ſuæ ſalutis ſubſidia vel generatim, vel particulariter, illis ſimul interiores ſuppeditate gratias exterioribus hiſce adminiculis reſpondentis, quæ illos animent, & confirment, niſi earum effectus ab hominibus prohibeatur. Ex illis autem auxiliis, quæ Deus extrinſecus tradit hominibus, ut ſalutem ſuam operari, & pœnitentiam agere poſſint, eſt verbi ſui prædicatio: ſed eodem tempore, quo illis hoc exterius præbet adminiculum, intrinſecus etiam ſecretis afflatibus concionatoris voci reſpondentibus eos movet: ita ut ſi hic in auditorum auribus loquitur, illi in eorum mentibus, animiſque ejus imprimant dicta; & ut loquitur S. Auguſtinus, ſi qui extrinſecus vitia reprehendit, ſuum habet in templo ſuggeſtum, ille, qui cor movet, in cœlis habet ſuum: *Cathedram habet in cælo, qui corda movet.* Ubi ergo concionem audis, duplicem tibi finge concionatorem tecum, licet diverſo modo loquentem; alterum quidem viſibilem cujus vox tua aures percellit, inviſibilem alterum, qui loquitur ad cor. Hinc ſequitur, prædicationis tempus acceptabilem eſſe occaſionem ad Dei gratias, & auxilia promerenda; ille enim præſto eſt, ut hæc illis concedat, qui communibus utuntur adminiculis, quæ ipſius adhibet providentia, ut hominum converſionem, & ſalutem operetur: præterquamquod reverentia, & obſequium, quod fidelis Dei adhibet verbo, meretur, quod Deus hoc in ipſo potens, & efficax reddat. *Idem.*

Cū aſſiduitate, & fructu Dei verbum audire nota eſt prædeſtinationis.

Dei verbum audire, atque inde fructum percipere ſignum eſt, & character prædeſtinationis quemadmodum docent Theologi his Salvatoris verbis innixi: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Joann. 8. Ratio eſt, quia noſtra gratiæ cooperatio proculdubio tutiſſima, & unica via eſt, qua ipſi; quantum in nobis eſt, ad prædeſtinationem pervenire valeamus. Homo autem nunquam magis ad cooperandum gratiæ, ac ſe ſe dignum, qui illam recipiat, præbendum excitatur, quam cum Dei verbum audit: Deus enim interiorem vocem ſuam cum exteriori concionatoris voce conjungit, quæ illum urget, ac ſollicitat, ut ſe ſe dedat, & ex duabus hiſce vocibus, ut ita dicam, totale fit, abſolutumque ſuæ converſionis adminiculum. Sed e contra inde etiam inferendum eſt, probationis eſſe notam non audire Dei verbum, vel illud oſcitanter, & ſine reverentia audire, hoc enim pacto noſmet indignos præbemus iis gratiis, quas in hujuſmodi occaſionibus tribuit Deus, neque utimur medio omnium vulgatiſſimo, quod ad hominum ſalutem Deus ipſe conſtituit. Contra hujuſmodi negligentes chriſtianos adhibenda ſunt evangelii verba: *Vos non auditis; quia ex Deo non eſtis.* Deus nobis loqui vult, ut vel minis nos terreat, vel promiſſis alliciat; ſi vocem illius audire non vultis, neque metus inerit vobis judiciorum ejus, nec voluntas legibus illius ſatisfaciendo: quomodo igitur hoc in ſtatu ſalutem